DE
DONATO, TERENTII, ET SERVIO, VERGILII EXPLICATORE, SYNTAXEOS LATINAE INTERPRETIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA

REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXV. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXXVI

HORA XII

UNA CUM THESIBUS ADIECTIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PAULUS ROSENSTOCK

REGIMONTANUS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

HANS BAUMERT, DRD. PHIL.

FRITZ WRIEDT, CAND. THEOL.

MARGGRABOVAE.

EX OFFICINA CZYGANIANA.

DE

DONATO, TERENTII, ET SERVIO, VERGILII EXPLICATORE, SYNTAXEOS LATINAE INTERPRETIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA
REGIMONTANA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXV. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXXXVI
HORA XII
UNA CUM THESIBUS ADIECTIS
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

PAULUS ROSENSTOCK
REGIMONTANUS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
HANS BAUMERT, DRD. PHIL.
FRITZ WRIEDT, CAND. THEOL.

MARGGRABOVAE.
EX OFFICINA CZYGANIANA.

MATRI OPTIMAE

S.

Initio anni 1884 amplissimus philosophorum ordo qui est in hac alma universitate Albertina ad hanc rem quasi certatim dissertationibus pertractandam praemio proposito eos qui antiquitatis studiis excolendis operam navant incitavit:

„Grammatici latini, in primis Vergilii et Terentii interpretes, quae de syntaxi linguae latinae tradiderunt, colligantur collecta recteque disposita ita iudicentur, ut quibusnam potissimum ex fontibus illi hortulos suos irrigarint, liquido appareat.“

Et perquam feliciter hoc certamen mihi cessit: digna enim visa est commentatio mea doctissimis iudicibus, quam praemio ornarent. —

Atque illud quidem statim elucet universam rem in duas distribuendam esse partes, quarum una in colligendis recteque disponendis omnibus locis ad syntaxin latinam pertinentibus constat, altera versatur in disquisitione critica, qua num hi loci omnes aliqua coniunctione sint copulati pendeantque invicem erit statuendum. Et cum pars prior modo angustioribus modo latioribus finibus secundum unius cuiusque ingenium indolemque possit circumscribi, ego quidem, quia fines istos quam latissime extendendos censui —

si ita dicere licitum est — ab initio grammaticorum apud Romanos studiorum usque ad eorum obliterationem hoc est a Varrone usque ad Priscianum quaecunque nobis restant scripta grammatica, nihil curans utrum exstarent integra an decurtata, perscrutatus sum, ut quidquid ad syntaxin latinam referendum esse putarem et componerem et distribuerem.

Cum vero hoc opus ad nimis amplum spatium accreverit, quoniam plerosque locos verbotenus exscripsi, exiguam modo eius partem „de Donato et Servio syntaxeos latinae interpretibus“ foras emitto.

Quodsi quaerimus, quid veteres „syntaxin“ esse opinati sint, Priscianus hanc vocem idem quod „constructionem“ valere declarat. Et vero „constructio“ amplectitur quidquid in grammaticorum latinorum libris non ad grammaticam rhetoricam lexicographiam orthographiam prosodiam pertinet. Item quaecunque recentiores de periodis enuntiatisve conserendis tradidere, nihil aliud spectant nisi antiquam istam „constructionem“. Cogitantibus igitur nobis, quadere primum nobis sit disserendum, occurrit ut agamus de oratione eiusque partibus, namque ut qua constructione singulae orationis partes inter sese sint coniunctae cognoscamus, quas veteres grammatici partes orationis nominaverint quin perspiciamus dilucide facere non possumus ut secundum eos quomodo singula dividenda sint constituamus. Cumque grammaticorum plerique, de quibus ne sim longus dico Probum Donatum Priscianum in eo consentiant ut octo partes orationis

statuant primum opusculi nostri caput optime has octo partes orationis secuti disponemus, ita ut quasi quandam introductionem praefationemve capitulum praemittamus in quo qua ratione in periodis orationis partes et ponendae sint interse et componendae inquiramus. Sequitur illud ipsum de quo nobis ut agamus propositum est quod antea dixi octies esse dividendum. Quoniam vero de peculiari pronominis constructione nihil aliud dici potest nisi eam plane consentire cum nominis, cuius loco adhibetur, constructione, septem restant capita quorum est longe amplissimum quod est de verbo, quia non modo eius constructionem sed etiam quidquid ad significationem et tempora modosque verbi aptum in scriptis auctorum nostrorum repertum est huc nobis esse congerendum arbitrati sumus. Utque hoc longe amplissimum, ita caput de interiectionibus multo minimum occupasse spatium nemo mirum ducet quippe de eius constructione duos tantum Prisciani locos eruere potuerimus.

Subdimus conspectum ex quo quam prioris partis dispositionem nobis adhibendam esse crediderimus optime intellegatur:

A. 1) de oratione eiusque partibus,
2) de ordinatione verborum inter se,
3) de coniunctione partium orationis inter se.

B. 1) de nominum constructione,
2) de praepositionum constructione,
3) de participiorum constructione,

4) a. de verborum constructione,
   b. 1) de significatione }
      2) de temporibus } verborum,
      3) de modis }
5) de coniunctionum constructione,
6) de adverbiorum constructione,
7) de interiectionum constructione.

Inter nomen et verbum ideo posuimus participium quod cum ad utrumque pertinere postea videamus facillime ut ab illo ad hoc transeamus efficit. Adverbia vero propterea a verbis seiunximus, et quod haec id quod maxime consentaneum est sequuntur coniunctiones et quod cum agemus de adverbiorum constructione, ea quae de locorum temporumque definitionibus constant apponenda nobis esse visa sunt. Etenim veteres illa inter adverbia rettulere, quamquam minime definitioni illi, quam adverbiis applicarunt, convenire posse videantur.

Pars I.

„Terentii et Vergilii interpretum fragmenta syntactica".

A. I. De oratione eiusque partibus.

Servii comm. in Verg. Aen. V. 19:

nomen et adverbium plerumque in se transeunt: nomen in adverbium (VII. 399) „torvumque repente

clamat", id est torve: item adverbium in nomen, ut (georg. III. 325) dum „mane" novum accepta declinatione factum est nomen, sic Persius [V. 68] „iam cras hesternum consumpsimus; ecce aliud „cras". sed nomen cum adverbium esse coeperit, declinatur: unde ait Plautus (mostell. III. 2,80) „a mani ad vesperum". „a mane" autem propter triptoton non dixit: cum enim in alienum ius transeunt hae partes, non suis sed earum ad quas transierint, utuntur potestatibus, dumtaxat in declinatione. nam temporum rationem suam reservant.*)

A. II. De verborum ordinatione inter se.

Aelii Donati comm. in Terentii:

Ad. prol. 15 nam, incipiendi vim habet modo. And. I. 1,28 quod plerique omnes. Haec adiectio dicitur in primo posita loco. Adiectiones vero aut in prima parte orationis, aut in ultima adiciuntur.

Servii comm. in Verg.:

Aen. I. 32 maria omnia circum. in fine accentum ponimus contra morem latinum: sed corruptio hoc facit; namque praepositio postposita corrupta est sine dubio.

Aen. I. 181. Anthea si quem . . . usus est hoc genere elocutionis, quo et Terentius, qui dixit (Andria I. 1,28**) „quod plerique omnes faciunt adulescentuli". atqui nihil tam contrarium, omnes enim generale est, plerique speciale: ordo ergo est, quod omnes faciunt adulescentuli, ut animum ad aliquod studium ad-

---

*) cf. Pompei comm. p. 136 K.

**) cf. Donati comment. ad. h. v.

iungant, plerique equos alere, plerique canes. aut certe „quem“ vacat, ut superius diximus istas frequenter vacare particulas, ut ipse Vergilius (Aen. X. 861) „res si qua . . . ulla est“ nemo enim dicit „si qua ulla“, sed „si ulla“. vacat ergo „qua“ . . . ergo „si quem videat“ pro „si videat“ posuit, cui contrarium ponebant veteres, ‚nullum“, id est „si quem vidisti“ „nullum vidi“ pro „non vidi“,

Aen. XI. 24. Ite, ait . . . vitiose in media oratione „ait“ positum critici notant.

Georg. IV. 445 . . . hodie . . . „nam“ particula postponitur, antea praeponebatur. Terentius in Phormione (V. 1,5): „Nam quae est haec anus, a fratre egressa meo?“

A. III. De coniunctione partium orationis inter se.

Donati comm. in Terentii.

Adelp. IV. 4,24 non placet illud, ubi duae distinctiones sunt: unde „aperite“ est una, altera „aliquis“ . . . Proprie enim veteres et quis, et aliquis, et quisquam non observabant quo genere aut quo numero declinarent.*) Et est ἀρχαϊσμός [synthesis Plauto familiaris. Pseud. V. 1,37: „Aperite, aperite, heus, Simoni me adesse quis nunciate].

Eun. IV. 3,7. Absente nobis turbatum est domi. Aut subdistinguendum est, et subaudiendum „me“, aut ἀρχαϊσμός figura est „absente nobis“ pro „nobis

*) cf. Prisciani instit. gramm. lib. XVII. 157 et lib. XVIII. 200.

absentibus" . . . cum sic dicit, pro praepositione ponit „absente": ac sic diceret „coram amicis".*)

Servii comm. in Vergilii:

Aen. I. 17. sane „hic illius arma, hic currus fuit" quotienscumque nomina pluralis et singularis numeri conectuntur, respondemus viciniori, ut ecce hoc loco currui, non armis respondet. eadem et in diversis generibus est observatio, ut magis vicino, sive masculinum sit sive femininum, respondeamus, ut puta „vir et mulier magna ad me venit". si autem plurali numero velimus uti, ad masculinum transeamus necesse est, ut „vir et mulier magni ad me venerunt".

Aen. I. 144. adnixus zeugma est, „adnixi" enim debuit dicere, ut paulo post (A. I. 399) haud aliter puppesque tuae pubesque tuorum, aut portum tenet. Ergo „adnixus" ad Tritonem tantum pertinet.

Aen. I. 160. Locus subaudis „quem", ut superius (A. I. 12) „urbs antiqua fuit". et sciendum est, quia, quotiens praemittimus nomen cuiuslibet generis et interposito pronomine (proprium) sequitur nomen alterius generis, medium illud pronomen proprii nominis genus sequitur, ut Sallustius (Cat. 55,3) „est in carcere locus, quod Tullianum appelatur". ecce proprio iunxit, non appellativo; Tullianum enim proprium est, carcer appellativum. si autem utraque nomina appellativa fuerint, licenter cui volumus respondemus.

Aen. I. 378. ex hoste penates optima locutio est, plusque significat de pluralitate ad singularitatem

*) cf. Prisciani instit. artium lib. XVIII. 200.

transire, ut „venor multis canibus" et „multa cane". ut Horatius (epod. II. 31) „aut trudit acres hinc et hinc multa cane apros in obstantes plagas". —

Aen. I. 553. „sociis et rege recepto". syllepsis per numeros, ut (Aen. I. 16) „hic illius arma, hic currus fuit". —

Aen. II. 387. „Qua prima inquit fortuna". non „quae prima", sed „qua primum". est autem hypallage, ut (Aen. VI. 268) „ibant obscuri sola sub nocte" pro „ipsi soli": quae fit non ornatus causa, ut (Aen. I. 212) „pars in frusta secant", sed necessitatis.

Aen. II. 392. „insigne decorum". ornamentum decorum: non enim sunt duo epitheta, quod apud Latinos vitiosum est. fecit hoc tamen Vergilius in paucis versibus, qui tamen emendati sunt, ut (buc. III. 38) „lenta quibus torno facili super addita vitis". —

Aen. III. 70 . . . fecit autem hoc prope in decem versibus.

Aen. III. 269. „ventusque gubernatorque vocabat". honestius hac elocutione per pluralem utimur numerum, licet possit et singularis esse.

Aen. IV. 224. „Tyria Carthagine". quasi homini, ita civitati epitheton patrium dedit.

Aen. IV. 462. „sola bubo" . . . sane „sola" contra genus posuit. Lucanus (V. 396) „et lactae iurantur aves bubone sinistro", item Ovidius (metam. V. 550) „infandus [ignavus] bubo [X. 453. funereus bubo]. et hoc est in usu, sed Vergilius mutavit, referens ad avem: plerumque enim genus relicta specialitate a ge-

nerali sumimus, ut si dicas „bona turdus“ referendo ad avem: item si dicas „prima est a“ id est litera, cum „a“ sit neutri generis.*)

Aen. IV. 697. „sed misera ante diem“ non est contrarium quod dicit in decimo (467) „stat sua cuique dies“: nam, ut saepe diximus, secundum sectas loquitur; et hoc secundum alios, illud secundum alios dictum est; quamquam grammaticae responsioni possit sufficere (buc. X. 69) „omnia vincit amor“.

Aen. VIII. 209. „atque hos“. quotiens masculinum et femininum iunguntur, haec disciplina est, ut, etiam si posterius est femininum, masculino respondeamus.

Aen. VII. 477. „speculata locum quo litore“. pronomen pro nomine ponitur, non pro nominibus: unde modo nove inter duo nomina unum pronomen posuit; nam recte „quo loco“ diceret. et hoc semel tantum facit.

Ecl. III. 1. „cuium pecus“ . . . antique ait, vitans ὁμοιοτέλευτον ne diceret cuius pecus: quod modo trium est generum. Antiqui dicebant, sicut meus mea meum, sic cuius cuia cuium. Terentius Eun. (II. 3,29): „Quid virgo cuia est?“

G. III. 539. „Timidi Damae“. Mutavit genus, ut vitaret ὁμοιοτέλευτον. Horatius (Od. I. 2) „et superiecto pavidae natarunt aequore damae“.

E. III. 38. „Quibus torno facilis“.**) Donatus sic legit. Legitur tamen et „torno facili“, ad exclu-

---

*) cf. [Sergii] explan. in Donati artem (gr. lat. VI. p. 494, 25 sqq. K.)
**) cf. G. IV. 19 et 370.

denda duo epitheta, quod est in latinitate vitiosum, si sit, lenta facilis vitis.

E. III. 34. „Nec nos moveat, quod alter dixit de femina: nam et in subauditione ponuntur ea, quae non possimus dicere, et scimus: quia, quotiens haec duo genera iunguntur, masculinum praeponderet feminino.

A. XII. 897. campo quod forte iacebat, limes agro positus. Secundum artem propiori respondet. Sic Sallustius (Catil. 55): „Est in carcere, quod Tullianum appellatur.*)

B. I. De nominum constructione.

Donati comment. in Terentii:

Andr. prol. 10. libertus ad aliquid dicitur.

Andr. I. 1,129. Et bene „ea ab illo" dixit „iniuria". Certissimam enim notat personam, quae debeat pro iniuriis poenas solvere. Quod si dixisset „iniuriam eius", ἀμφιβολίαν fecisset, utrum quam passus est ab alio, an quam ipse aliis intulit.

Eun. III. 5,9. „Ab eo" amat Terentius pro „eius" ponere.

And.V. 4,38. Dignus es . . . odium. Aut accusativus pro ablativo casu est positus, pro „odio", aut . . .

Eun. II. 2,43. „Animi" pro „animo" ἀντίπτωσις veterum: qui „ingens es virium". et „dives es opum" amabant dicere.

Phor. IV. 3,18. fugitans litium. genetivo casui. vim nominis habet „fugitans litium".**)

---

*) cf. Servii in Verg. Aen. I. 160 comment.

**) cf. Prisciani instit. grammat. XVIII. 21 et 183.

Hec. III. 4,7. dies triginta. Accusativus casus plenum numerum et continuationem rei significat.

Servii comment in Vergilii:

Aen. I. 14. „dives opum“ modo tantum dives dicimus, antiqui adiungebant cuius rei, ut dives equum, dives pictai vestis et auri iungentes tantum genitivo casui.

Aen. I. 96. „fortissime gentis“ antiqui in artibus legimus superlativum gradum non nisi genetivo plurali iungi. constat quidem, sed „gens“ nomen est enuntiatione singulare, intellectu plurale. bene ergo iunxit, in gente enim plures sunt, ut alibi ipse „ditissimus agri Phoenicum“ (A. I. 343); non enim unus est ager Phoenicum. item Sallustius (hist. frgm. I. 2) „Romani generis disertissimus“. aut superlativo pro comperativo usus videtur, quasi fortissimis comparandus, non ut vulgo creditur, praeferendus.

Aen. I. 164. tum silvis scaena coruscis. „silvis coruscis“ hoc est silvarum coruscarum, id est crispantium, ut Iuvenalis (sat. III. 254). et posuit septimum pro genetivo.

Aen. I. 75. „pulchra prole“ notanda figura, frequenter enim hac utitur. nam quod nos per genetivum singularem dicimus, antiqui per septimum dicebant, ut hoc loco „parentem pulchra prole“, id est „pulchrae prolis“. et simpliciter intellegendum est.

Aen. I. 320. „nuda genu“ nudum genu habens, ut si dicas „bonus animum“. et est Graeca figura, sed non ea quam diximus fieri per participium prae-

teriti temporis et casum accusativum; haec enim per nomen fit: quamvis ad unam significationem recurrant.

Aen. I. 441. „laetissimus umbra“ aut septimus est, aut secundum Probum genetivus, ut sit „laetissimus umbrae“, sicut Sallustius (hist. fragm. II. 92 Kr.): frugum pabulique laetus ager“.

Aen. I. 460. „Plena laboris“. plenus genetivo melius iungitur ut Terentius (eun. I. 2,25): „plenus rimarum sum“.

Aen. I. 573. „urbem quam statuo vestra est“. multi antiptosin volunt, accusativum pro nominativo, ut sit pro „urbs quam statuo vestra est“. sed si sic intellegamus „quam“ nihilo minus sequitur et syllepsis fit per casus mutationem; debuit enim dicere: „urbs quae statuitur vestra est“. melius ergo est „vultis“ bis intellegere, ut sit „vultis regnis considere? vultis urbem quam statuo vestra est“, ut est (Aen. VI. 838) „eruet ille Argos Agamemnoniasque Mycenas ipsumque Aeaciden“: subaudis „ille“, alter enim Pyrrhum vicit, alter Mycenas . . . hoc schema de antiquioribus sumptum possumus accipere, ait enim Cato in legem Voconiam (fragm. 2 Jord.): „agrum quem vir habet tollitur“ et Terentius (eun. IV. 3,11) „eunuchum quem dedisti nobis, quas turbas dedit“.*) —

Aen. II. 22. insula dives opum ut alibi (IX. 26)

*) cf. Donati ad Ter. eun. IV. 3,11 et Phorm. V. 8,53 sq. comment. Quid vis tibi? argentum quod habes? „vis iterum subaudiendum est, ut sit: vis argentum, quod habes?“ . . . sic et illud apud Vergilium (Aen. I. 573.)

„dives equum“. et hic genetivo iungit, quod rarum est, et ablativo, ut „satis ostro dives et auro“ (Statius. Theb. II. 406).

Aen. II. 392. „insigne decorum“ ornamentum decorum: non enim sunt duo epitheta, quod apud Latinos vitiosum est. fecit hoc tamen Vergilius in paucis versibus, qui tamen emendati sunt, ut (buc. III. 38) „lenta quibus torno facili super addita vitis“, cum antea „facilis“ fuerit.

Aen. III. 321. „ante alias“ hic absolute iunxit ut (XI. 821) „fida ante alias“. iungitur tamen et comparativo, ut (I. 347) „scelere ante alios immanior“, et superlativo, ut (IV. 141) „ipse ante alios pulcherrimus omnes“.

Aen. IV. 203. isque amens animi et amator, et barbarus. sane nomen esse ostendit ponendo genetivum . . . ut (300): „saevit inops animi.“ sane „amens animi“ nominativum pro genetivo posuit. num ergo „amentis animi“?

A. IV. 229. ideo . . . „gravida“ ablativo iungitur, quia etiam „gravis illa re“ dicimus, unde est huius origo sermonis. sic Plautus in Amphitruone (II. 2,86) „uxor tua non puero, sed peste gravida est“. —

A. IV. 290. Quae rebus sit causa novandis. Sallustius (hist. fragm. 58 Kr.) „quae causa fuerit novandis rebus“. nos „quae causa novandarum rerum“ dicimus.

A. IV. 350. et nos fas „nobis fas“ dicimus, sed

hoc loco non est iungenda elocutio, ne sit vitium: nam legimus (II. 157) „fas mihi Graiorum sacrata re solvere iura". sed hoc dicit: „fas est etiam nos externa regna requirere."

A. V. 73. „aevi maturus" honestius, quam si „aevo maturo" diceret: vel certe „aevi maturi".

A. VIII. 127. „optime Graiugenum" . . . superlativus est pro positivo: nam „optimus malorum" non possumus dicere; superlativus enim suo tantum iungitur generi. sic ergo dixit ut Homerus (Jl. XII. 832) „δικαιότατος Κενταύρων" pro δίκαιος id est „iustissimus Centaurorum" pro „iustus" et est rhetorica persuasio.

A. IX. 26. „Dives equum". Per genetivum frequentius utimur hac figura, quam per ablativum. sane hic secutus veteres, cuius rei dives addidit, cum alibi subtraxerit. Aen. (IV. 263): „Dives quae munera Dido": et (VII. 11): „Dives . . . ubi solis filia".

A. XI. 416. „Fortunatusque laborum". Sicut „laetatus laborum": et est Graecum: „εὐτυχὴς τῶν πόνων".

A. IX. 685. „Praeceps animi". Figurate genitivo iunxit: nam dicimus „praeceps furore".

A. XI. 441. Dicimus et „secundus illi" et „secundus ab illo".

A. XII. 649. „Indignus avorum"; Graeca figura est: nam nos, indignus illa re, dicimus. contra Graeci „ἀνάξιος στεφάνου", id est „indignus coronae".

Ecl. V. 2. „Boni dicere" Graecum est; ita Graeci „ἀγαθὸς πολεμίζειν". —

B. II. De praepositionum constructione.

Donati comm. in Terentii:

Andr. I. 1,15. „adversum" sine dubio praepositio est. „adversus" participium potest esse, ab eo quod est „adverto", sicut alibi.

Andr. II. 1,15. „Adeon autem". consuetudine magis quam ratione dicitur. unum enim „ad" abundat.

Hec. IV. 1,3. „Et derepente" una pars orationis ut „defessus". adverbiis etiam praepositiones separatim non adduntur.

Andr. III. 2,10. „coram" ad certas personas refertur „palam" ad omnes.

Adelp. IV. 3,17. „coram" indiget adiectione, „palam" non indiget. et praeterea ad caeteras personas refertur „coram"; „palam" generaliter dicitur.

Andr. II. 1,3. Nulla praepositio praepositioni adjungi separatim potest. usque eiusmdi est ut sine aliqua praepositione raro inveniatur. Est enim „usque" velut adverbium, non iam praepositio.

Servii comment. in Vergilii:

Aen. I. 24. „ad" et „apud" accusativae sunt praepositiones, sed apud semper in loco significat, ad et in loco et ad locum, ut „ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est" et Cicero „decem fiscos ad senatorem quendam relictos" etc.

Aen. I. 233. „ob Italiam multi" „iuxta Italiam" antiquo more dictum accipiunt, ut sit: pars orbis clauditur quae circa Italiam est. „ob" enim veteres pro „iuxta" ponebant . . . potest tamen „ob" et „ante"

intellegi, aut „ob“ „propter“, Terentius (ad. V. 9,4): „quodnam ob factum“; aut „ob“ „circum“, ut (Aen. XII. 865): „Turni se pestis ob ora“, quasi circa Italiam errent et in eam pervenire non possint etc.

Aen. I. 295. „saeva sedens super arma“ secundum antiquam licentiam sciendum tamen est hodie „in“ et „sub“ tantum communes esse praepositiones. ceterum „super“ et „subter“ iam accusativae sunt, sicut „clam“ et „post“, quae ante communes fuerunt: nunc in his mutata natura est . . . et nunc haec (super) praepositio accusativo servit, ubi vero „de“ significat, ablativo. —

Aen. I. 595. „coram quem quaeritis . . . et „coram“ nonnulli ad personam, ut „coram Vergilio“, „palam“ ad omnes referri volunt, ut „palam omnibus“.*) „coram“ de praesentibus nobis, „palam“ etiam de absentibus. sane „coram“ quidam adverbium putant, quia non subsequitur casus, quidam praepositionem loquellis non casibus servientem.

Aen. I. 750. super Priamo de Priamo. nam eius praepositionis officio fungitur, pro qua ponitur, ut supra (A. I. 662) et sub noctem cura recursat, id est circa noctem. et sciendum, quod cum tempus significatur, „sub“ praepostiio accusativo haeret semper.**)

Aen. II. 15. „instar“ nomen est indeclinabile,

---

*) cf. Donati comment. ad Ter. Andr. III. 2,10, adelph. IV. 3,17. Reiffersch. Gloss. Sangerm. ap. Hildebr. pg. 80. Varr. de serm. lat. V. frgm. 59. Vilm. Isidor. diff. verb. 91.

**) cf. Prisciani instit. gramm. XIV. 52.

te nostris succede penatibus et (VII. 501): successitque gemens stabulis. Sallustius tamen succedere accusativo iunxit, sed ubi prope significat: cum murum hostium successisset, poenas dederat: hoc est: cum prope murum accessisset. Succedere autem idem significat quod et subire, id est penitus intrare.

B. IVb. 1. De verbi significatione.

Donati comment. in Terentii:

Andr. IV. 1,29. cum patre altercasti. legitur et „altercatus es". non enim „alterco" dicimus.

Eun. III. 5,51. omnes proruunt se. Verbo neutrali quasi activo usus est.

Hec. I. 2,108. patior commune est; nam patior te et patior a te dicimus.

Servii comment. in Vergilii:

Aen. I. 4. „memorem Iunonis ob iram". constat multa in auctoribus inveniri per contrarium significantia: pro activis passiva, ut „pictis bellantur Amazones armis"; pro passivis activa, ut „populatque ingentem farris acervum". Et haec varietas vel potius contrarietas invenitur etiam in aliis partibus orationis, ut sit adverbium pro adverbio, ut est „hoc tunc ignipotens caelo descendit ab alto" pro „huc"; et in participio, ut „et quae vectus Abas" pro „qua vehebatur"; et in nomine, ut „memorem Iunonis ob iram" non „quae meminerat", sed „quae in memoria erat". de his autem haec tantum quae lecta sunt ponimus nec ad eorum exemplum alia formamus, sane „memor" apud veteres non tantum dicebatur ὁ μεμνημένος, sed

etiam ὁ μνήμων. et hoc per confusionem verbi et nominis, nam „memorem" est verbi significatio, cum non sit nomen.

Aen I. 104. „avertit" pro „avertitur". et est figura creberrima. potest namque pro activi verbi significatione passivum poni, ut est „et pictis bellantur Amazones armis" (Aen. XI. 660.) pro „bellant" nec nos debet movere quod „bellor" non facit, natura enim hoc prohibuit. nam compone hoc verbum, et invenitur activum, facit enim debello debellor. et contra pro passivi verbi significatione activum ponitur, ut est hoc „avertit" pro „avertitur", et „insinuat pavor" (A. II. 229) pro „insinuatur", et (Aen. II. 8.) „nox umida caelo praecipitat" pro „praecipitatur". sed haec verba tantummodo pro se invicem ponuntur, quae et activa esse possunt et passiva, ut est: averto avertor, praecipito praecipitor. ergo non possumus dicere quod quidam artigraphus, declinationes activi verbi et passivi pro se invicem poni. nam et neutralis verbi declinatio activa est et communis deponentisve passiva, et aliud est esse activum verbum, aliud habere activi verbi declinationem.

Aen. I. 194. partitur. Sallustius ait (Iug. 43,1): provincias inter se partiverant, nam et partio et partior dicimus: et est verbum de his, quae cum utramque recipiant declinationem pro nostra voluntate, activae tamen sunt significationes, ut punio punior, fabrico fabricor, lavo lavor.*) quamquam temptaverit Pro-

*) cf. Probi cathol. p. 36,25 K. (Steup.: de Probis p. 196).

bus (l. l.) facere differentiam inter activam passivamque significationem, ut dicamus tondeo alterum tondeor ab altero; sed hoc in aliis verbis dicere non possumus, ut fabrico fabricor, pasco pascor; nam legimus (buc. I. 54): florem depasta salicti et (georg. III. 314): pascuntur vero dumos. sunt autem alia verba, quae activae significationis declinationisque sunt, ut caedo, sunt quae passivae, ut caedor. invenimus tamen, activam declinationem significationem habere passivam, ut vapulo, et contra declinationem passivam activam habere significationem, ut loquor. haec ergo caute ab illis segreganda sunt verbis.*)

Aen. I. 317. Praevertitur id est transit. dicimus autem et praevertit et praevertitur nova ratione.**) nam passiva declinatione utimur in activa significatione, ut hoc loco; praevertimur enim cum ipsi praeimus. cum autem activa declinatio est passivam habet significationem, ut „ille me praevertit“. alii „praevertitur“ si positum volunt, ut (A. XI. 660): bellantur Amazones pro praevertit et bellant.

A. IV. 72. nescius. aut nescius quod ferierit: aut ignoratus et latens, non qui cervam nesciret. et rara sunt verba quae per contrarium significant: nam cum „vector“ (excr. Isid. or. V. 281) sit proprie qui vehit, invenimus etiam eum vectorem dici qui vehitur; ut Lucanus (IV. 133): vectoris patiens tumidum supernatat amnem. tale est***) et „formidolosus“;

*) cf. Servii comm. in Donat. p. 437 K.
**) cf. Prisc. I. p. 402,17 H. (gr. lat. II. K.)
***) cf. Donati ad Ter. eun. IV. 6,18 comm.; excr. Isid. or. X. 102.

cum sit timidus, et timendum significat. cum enim exigat ratio, ut nomina verbalia agentis habeant significationem, pro passiva significatione plerumque ponuntur.

A. IV. 403. „cum populant“ antique dixit: nam hoc verbum apud veteres activum fuit, nunc tantum deponens est.

G. I. 184. veteres: populo munero aucupo lucto dicebant, nos addita r litera pronunciamus.*)

G. I. 193. „medicare“ antique dixit: nam maiores medico et medicor dicebant, ut populo et populor: quae verba modo ab utraque significatione tantum passivae sunt declinationis. Sed ut medicare diceret pro medicari, metri necessitas fecit.

G. III. 314. Pasco et pascor illam rem dicimus.**)

A. VII. 273. „auguro“ dicimus secundum Plinium, cum praesagio mentis futura colligimus; „auguror“ vero tunc cum futura veris captamus auguriis.“

A. XI. 660. Bellantur. pro „bellant“: nam solent verba pro verbis poni: unde nunc passivam declinationem sub activa posuit significatione: sicut in georgicis (II. 425): et placidam paci nutritor olivam: futurum tempus a passivo posuit pro praesenti ab activo: nam „nutritor“ pro „nutri“ posuit. Sic apud Ciceronem (in officiis I. 25): Neque ad eius, qui punitur aliquem, aut verbis castigat, sed ad rei publicae utilitatem referri. Punitur pro punit: unde est e con-

*) cf. Serv. ad Aen. XII. 263).

**) cf. Prisc. inst. grammat. lib. XVIII. § 193.

trario (A. II. 8): nox humida coelo. Praecipitat: pro praecipitatur, activum pro passivo. —

B. IV b. 2. De temporibus verbi.

Donati comment. in Terentii:

Andr. prol. 11. Bene imperfecto tempore non perfecto usus est: ut ostendat, eum potuisse sibi etiam atque etiam servire.

Servii comm. in Vergilii:

Aen. II. 12. Quod autem dixit „meminisse horret“ defectivi verbi ratio est, nec enim potuit dicere „meminere“.*) et in his quae corrupta sunt naturaliter, ut: odi novi memini et omnia tempora quae inveniuntur et suo et aliorum funguntur officio, ut „memini“ praeteritum est, legimus tamen et (Ter. Andr. II. 5,18:**) memini videre, quo aequior sum Pamphilo, et (Georg. IV. 125): memini me turribus altis Corycium vidisse senem. quod si fit et in verbis integris, ut (Aen. III. 282): iuvat evasisse tot urbes, quanto magis in corruptis?

Aen. III. 417. foret ab infinito est: sed modo praeteritum significat tempus, quod rarum est; saepius enim futurum significat.

Aen. IV. 66. in defectivis tempora pro temporibus ponimus, ut: odi novi memini, odisse novisse meminisse etiam pro praesenti ponuntur, non: odire novire meminere, nec enim possumus dicere.

---

*) cf. Servii comm in art. grammat. Don. (gr. lat. IV. p 437,1 K.)
**) cf. Donati commentarium ad h. v.!

Aen. IV. 153. decurrere. bene praeterito usus est tempore ad exprimendam nimiam celeritatem.

Aen. IV. 200. centum aras posuit per praeteritum perfectum intulit, sacraverat per praeteritum plusquamperfectum. at e contrario (Aen. I. 471): multa vastabat caede et ardentesque avertit. alibi simile schema per tempora (Aen. VIII. 505, V. 96): mactat binas de more bidentes vinaque fundebat pateris.

Aen. IV. 228. quaedam ideo praesenti pro praeterito tempore ponuntur, ad maiorem significationem figurandam, ut (Aen. I. 316) et (georg. I. 279), ut e contrario praeteritum tempus ad exprimendam celeritatem, ut (Aen. XI. 488): suras incluserat auro et (georg. II. 81): exiit ad caelum ramis felicibus arbos.

Aen. IV. 336. „piget“ ad futurum spectat „pudet“ ad praeteritum: et licet paene sit una significatio, tamen dicimus „piget me illud facere“, „pudet fecisse“: unde interdum, praecipue a Sallustio, simul ponuntur.

Aen. VIII. 522. putabant: figura per tempora: „putabant“ quasi „putassent“, nisi signum dedisset.

Aen. V. 687. odi et praesens est et praeteritum.

Aen. VI. 79. „excussisse deum“ pro „excutere deum“, tempus pro tempore. est autem Attica figura, quo nos uti non convenit, quia hac licenter utuntur poëtae.

Aen. X. 94. decuit metuisse. optima est elocutio: nam utramque prateriti est temporis. Si enim dixeris, decet metuisse, incongruum est, quia decet praesentis est, metuisse praeteriti.

Aen. X. 546. Plusquamperfecto usus est ad exprimendam celeritatem.

Aen XI. 112. nec veni. pro: nec venissem: tempus est pro tempore: et vitavit ὁμοιοτέλευτον.

Ecl. II. 34. . . . notandum, poeniteat trivisse: praeteritum pro praesenti positum, usurpative: quod in defectivis licenter fit, ubi praesens non invenitur ut: quamquam animus meminisse horret. —

B. IV b. 3. De modis verbi.

Donati comment. in Terentii:

Eun. III. 1,20. Plus potest ad significandum infinitum tempus, quam finitum.

Eun. IV. 7,29. Quia imperativa sunt contumeliosa, addebant veteres „sis". quod significat „si vis".

Servii comment. in Vergilii:

Aen. II. 132. parari. infinitivus modus pro indicativo. et est figura propria historiographorum, ut Sallustius (Iug. 6,1): equitare iaculari cursu cum aequalibus certare; ut poëtarum propria est: (I. 320 Aen.) nuda genu et (Aen. VII. 399): torvum clamat. quod autem ait Cicero (pro Murena 14,30): bellicum canit non est figura, sed sermo naturalis; est enim soni nomen. [quidem sane „parari" pro „parabantur" accipiunt et ad omnia hoc subaudiunt.]

Aen. III. 405. purpureo velare comas. subaudis „cura" aut „memento": aut certe, quod est melius, „velare" imperativus sit non infinitivus.

Aen. III. 493. „vivite felices" . . . illud quaeritur, utrum „vive" an „vivas", id est utrum per im-

perativum, an per optativum dicere debeamus. et constat dici melius per optativum: optari enim possunt, non imperari vel bona vel adversa. quod autem invenimus per imperativum, usurpatum est.

Aen. III. 666. celerare infinitivum pro pronuntiativo.

Aen. II. 110. fecissentque utinam. est significatio optandi a praeterito tempore.

Aen. IV. 422. colere pro colebat, vel colit: infinitivus pro indicativo.

Aen. VIII. 689. ruere. ruebant.

Aen. VI. 199. prodire. prodibant; infinitivus pro indicativo. et sunt infiniti pro indicativis (Aen. VII. 390); et ut diximus (II. 132 Aen.) historicus stilus est. (Aen. VIII. 493).

Aen. X. 33. iuveris . . . concessivus est modus iste, secundum Probum: namque in artibus non invenitur. fit autem, quotiens taedio contentionis quasi videmur concedere, quod tamen nolumus fieri.

B. V. De coniunctionum constructione.
Donati comm. in Terentii:

Ad. II. 2,16: Praeterea autem. ἀρχαϊσμός est figura. nam veteres libenter coniunctiones multiplicabant.

Hec. I. 2,8. Mecastor. Aut adiectio est et abundat: aut positum est pro μά syllaba: ut Graeci μά τόν Ἀπόλλωνα dicunt.

Hec. II. 1,41. Supervacua ponitur interdum coniunctio „enim“, aut pro altera coniunctione.

Phorm. prol. 1. Nota „postquam“ apud veteres non praeterito modo, sed etiam praesenti tempori adiungi. Ut: postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.

Phorm. III. 2,1. Quin; modo corripiendi vel imperandi vim habet, ut: quin age.

Ad. II. 1,14. At enim non sinam. Enim inceptiva particula apud veteres fuit: sed et convenit perturbationi.

And. V. 3,27. Ne saevi tantopere. Ne imperativo magis quam coniunctivo adiungitur. ut Vergilius: ne saevi magna sacerdos . . . —

Servii comment. in Vergilii:

Aen. I. 5. Sane duas (quoque et) coniunctiones separatas naturaliter nemo coniungit. sed hoc plerumque a poëtis causa metri fit. ergo hic una vacat, sicut alio loco: dixitque et proelia voce diremit. Sallustius: tyrannumque et Cinnam.

Aen. I. 20. „olim“ quandoque. et tria tempora significat: praeteritum, ut: „olim arbos nunc artificis manus aere decoro“ inclusit patribusque dedit gestare latinis; praesens, ut: tumidis quod fluctibus olim tunditur; futurum, ut: nunc olim quocumque dabunt se tempora vires.

Aen. I. 27. „que“ particula vacat, sicut illo loco: dixitque et proelia voce diremit. licet multi separent dicentes aliud esse; numquam enim coniunctio ponitur nisi inter duas res.

Aen. I. 384. ignotus. deest „quasi"; nam contrarium est, quod dixit: „fama super aethera notus", facit autem hoc frequenter Vergilius ut hanc particulam subtrahat, ut (A. XI. 648): at medias inter caedes exultat Amazon; quasi Amazon; nam Vulsca fuit.

Aen. I. 697. cum venit. aut pro „cum veniret", aut ut „cum" sit adverbium temporis pro „dum"; nec enim potest coniunctivi modi particula iungi indicativo. sane sciendum, malo errore „cum" et „dum" a Romanis esse confusa.

Aen. II. 12. „quamquam" melius praesenti iungitur tempori, ut: quamquam scio, quamquam lego".

Aen. II. 13. deest „tamen", quia cum praeponitur „quamquam", subiungi necesse est „tamen".

Aen. II. 37. subiectisque urere flammis. „que" copulativa coniunctio est, „aut" disiunctiva. quomodo ergo has iunxit, cum non utramque, sed alterutrum fieri poterat quod suadebatur? poëtarum est partem pro parte ponere, ut: torvum pro torve, et volventibus pro volubilibus: coniunctionem ergo pro coniunctione posuit, ut (IV. 616): saxum ingens volvunt alii radiisque rotarum, „que" pro „ve" posuit; nam sonantius visum est. antiqua tamen exemplaria „ve" habere inveniuntur; „ve" enim proprium significatum habet, ut interdum pro vel accipiatur.

Aen. II. 247. „non numquam" non aliquando, id est numquam: nam si „non numquam" esset, duae negativae facerent unam confirmativam: licet Teren-

tius graeco more dixerit (heautont. I. 1,11): agrum in his regionibus meliorem neque pretii maioris nemo habet.

Aen. II. 270. „ecce“ hac particula utimur quotiens repentinum aliquid volumus indicare, ut (II. 57.) ergo „ecce“ subito est.

Aeu. II. 292. „etiam“ multi distinguunt, ut sit „adhuc“, ut (V. 485): etiam currus, etiam arma tenentem: . . . quidam „etiam“ pro „denique vel „postremo accipiunt.*)

Aen. II. 455. „cum manebant“. quomodo dicimus, cum constet „manebant“ esse modum indicativum? hoc ergo sciendum est, quia, quando coniunctivus modus est, necesse est aliquid iungi aut subaudiri, ut „dum venirem, vidi illum“. si autem „cum veniebam“ dicamus, aut modus pro modo est, hoc est indicativus pro coniunctivo: aut. „cum“ non erit coniunctio, sed adverbium temporis, et significat: tempore quo veniebam.

Aen. II. 606. „ne“ particula iungitur imperativo modo: sed interdum praesenti tempori, interdum futuro, prout aliquid volumus aut ad praesens aut ad futurum fieri.

Aen. III. 1.. „postquam“ haec particula conectendis adiungitur rebus, ut (III. 662): postquam altos tetigit fluctus: sic enim dictis sequentia copulantur.

---

*) cf. Don. ad Ter. Andr. III. 2,23.

Aen. III. 414. „quondam" tria tenet tempora, sicut „olim". praesentis, ut (II. 367); praeteritum, ut (V. 585): quondam Cretae fertur labyrinthus in altae; futurum (VI. 876 sq.)

Aen. III. 686. antiqui „ni" pro „ne" ponebant, qua particula plenus est Plautus (menaech. I. 2,1): ni mala ni stulta vis.

Aen. IV. 291. Quando non est temporis, sed significat „siquidem" et est coniunctio ratiocinantis.

Aen. IV. 424. atque coniunctio conplexiva: est et disiunctiva, cum dicimus „aliter atque debuit fecit": est et expletiva (georg. I. 203): atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.

Aen. IV. 534. „en" ecce: et quasi demonstrantis particula est, per quam intellegimus eam multa cogitasse et sic prorupisse „ecce quid natura sim"? est autem comicum principium, nec incongrue amatrici datum.*) sic Terentius (eun. I. 1,1): quid igitur faciam? nam haec coniunctio multa eum cogitasse significat.

Aen. VI. 670. „ergo" coniunctio fuit, sed per accentus mutationem in adverbium transiit: [et est sola particula, quae habet in fine circumflexum.] multi male putant nomen esse indeclinabile, et dicunt positum esse pro „causa". „causa" autem nomen est, quod ponitur pro „ratione": qui casus declinatione caret.

---

*) cf. Don. ad h. v. et Macrob. sat. IV. 6,11.

**) cf. F. Schoell: de acc. ling. lat. p. 127 sq. et p. 132 sqq.

A. VII. 787. legitur in arte, quod „tam magis maxime minus minime“ positivo tantum iungantur: quod tamen tunc observatur si ponantur ad augmentum istae particulae; tunc enim vitiosam faciunt elocutionem. ceterum si ad exaequationem positae sint, possunt vel comperativo vel superlativo vel pro his gradibus ipsae inter se iungi: hinc ergo est: „Tam magis illa fremens et tristibus effera flammis.*) Quam magis effuso crudes cunt sanguine pugnae“: non enim ad praelationem positae sunt, sed ad exaequationem. maiores enim nostri vitia non in dicto sed in significatione esse voluerunt. hinc est in Sallustio (Iug. 31,14): ita quam quisque pessime fecit, tam maxime fecit, tam maxime tutus est: nam et hic exaequatio est, non comparatio.

Aen. V. 467. dixitque. vacat „que“ metri causa et maluit perissologiam facere, quam uti communi syllaba, quae frequens vitiosa est: unde et Terentianus (V. 1010 pg. 355 K.) nec tanta in metris venia conceditur uti: Graeci enim his utuntur frequenter.

Aen. V. 64. in hoc loco „si“ coniunctio aut pro confirmativa posita est, ut (georg. I. 7) „vestro si munere tellus“, ut sit. „si“ pro „cum“, id est cum venerit: aut „si“ pro dubitativa est, ut accipiamus „almum“ serenum, id est: si dederit diem serenum et talem qualis ludis aptus est . . . nonnulli tamen „si“ pro „quando“ accipiunt.

---

*) cf. Prob. instit. art. p. 73,9; Don. p. 374 sq.; Serv. comm. in Don. p. 431,13; Pomp. comm. p. 156 sq. K.

Aen. VIII. 71. sane cum „unde“ hodie ad locum referamus, veteres etiam personis adplicabant, ita ut ad omne genus et ad omnem numerum referrent, ut hoc loco genus femininum et pluralem numerum, posuit, cum alibi masculinum et singularem posuerit (I. 6): genus unde latinum: quod plenius in initio primi libri Aeneidos dictum est.

Aen. VI. 544. ne saevi ne irascere. Terentius (Andr. V. 2,27): ne saevi tantopere. et antique dictum est: nam nunc „ne saevias“ dicimus, nec imperativum iungimus adverbio imperantis.

Aen. X. 411. sed modo inceptiva particula est, ut in Sallustio saepius, sicut at interdum: nam non est coniunctio ratrocinantis.

Aen. IX. 282. aut disiunctiva particula est, non negantis adverbium.

B. VI. De adverbiorum constructione.

Donati comm. in Terentii:

Phorm. I. 1,2: Heri ad me venit. Propter cognationem e et i literarum non dubitaverunt antiqui et here et heri dicere, et mane et mani, et vespere et vesperi.

Andr. III. 4,3: Adverbia temporis aut certa sunt, ut hodie cras; aut incerta, ut: dudum nuper. Itaque incertis certum additur tempus; ut: iam dudum, nunc nuper etc.

Andr. III. 4,17. Porro futuri temporis adverbium. vel adhortantis; ut: Porro, Quirites.

Andr. IV. 3,16. Porro modo adverbium est ordinis; alias temporis.

Andr. IV. 4,19. Veni in tempore. opportune. nos sine praepositione dicimus, tempore et tempori.

Hec. III. 1,26. Vero vel nomen est, vel coniunctio, vel adverbium.

Adelp. III. 1,2. Evidenter hic „modo" temporis praesentis est adverbium.

Servii comment. in Vergilii:

Aen. I. 2. „Italiam". ars quidem hoc exigit, ut nominibus provinciarum praepositiones addamus, civitatum numquam. tamen plerumque perverso ordine lectum est; nam ecce hoc loco detraxit provinciae praepositionem dicens: Italiam venit pro ad Italiam venit. Tullius in Verrinis: ea die Verres ad Messanam venit pro: Messanam venit. sane sciendum est usurpari ab auctoribus, ut vel addant vel detrahant praepositiones; namque ait Vergilius: silvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti, pro: in silvis. ut ergo illic detraxit praepositionem, sic hic provinciae. et est figura.

Aen. I. 38. „nec posse Italia". detraxit suo more praepositionem provinciae, non enim dixit: de Italia, sed: Italia.

A. I. 193. fundat humi . . . et est adverbialiter positum, ut (Aen. II. 380): humi nitens, id est: per humum.

A. I. 47. tot annos. licenter in istis elocutionibus et accusativo et ablativo utimur. dicimus enim

et „tota nocte legi“ et „totam noctem legi“. honestior tamen elocutio per accusativum sane „tot annos“. continuationem significat; „tot annis“ autem intervallum.

Aen. I. 207. vosmet. met παρέλκον est. sciendum autem est, has particulas „met, piam, te“ ut: egomet quispiam tute et similia ornatus causa poni. sunt autem adverbia. quicquid enim ab illis septem recesserit partibus adverbium sit necesse est. item quemadmodum probamus adverbia esse, quia dicimus: docte facio, docte feci etc, et mutato verbo remanet adverbium: ergo si sic et in istis particulis invenimus, ut egomet vosmet, ut mutatis casibus vel personis eadem permaneant, adverbia sine dubio sunt, nulla enim hoc alia pars orationis admittit.

Aen. I. 6. „Genus unde latinum“ . . . prima est iucunda absolutio, ut „unde“ non referas ad personam, sed ad locum; namque „unde“ adverbium est de loco, non de ductu a persona. sed veteres „unde“ etiam ad personam adplicabant, ita ut ad omne genus, ad omnem numerum iungerent, ut hoc loco: „genus unde latinum“ masculino generi et numero singulari iunxit, alibi (ad) genus femininum et numerum pluralem refert, ut: nymphae, Laurentes nymphae, genus omnibus unde est, sicut „hinc“ particulam, cum sit loci adverbium, Terentius vetustate ad personam transtulit sed eccum Lyrum incedere video: hinc iam scibo quid siet.

Aen. VIII. 71. genus amnibus unde est. quidam hic hypallagen putant, ut sit: nymphae, quae de amnibus genus habetis. sane cum „unde“ hodie ad locum referamus, veteres etiam personis adplicabant, ita ut ad omne genus et ad omnem numerum referrent, ut hoc loco genus femininum et pluralem numerum posuit, cum alibi masculinum et singularem posuerit (Aen. I. 6): genus unde latinum: quod plenius in initio primi libri Aeneidos dictum est.

Aen. I. 251. infandum pro infande posuit, ut in VI. 21 miserum septena quotannis. item (Aen. VII. 399): torvumque repente clamat, pro torve. et est figura, quae fit, quotiens nomen pro adverbio ponitur; magis autem poëtica est, in prosa aut rara aut numquam. tamen hoc loco „infandum“ potest esse etiam interiectio dolentis.

Aen. I. 714. ille ubi . . . ubi interdum adverbium loci est, interdum temporis.

Aen. II. 97. „hinc mihi“ pro „hac causa“ vel „propter hoc“. et est adverbium locale pro coniunctione causali.

Aen. II. 538. coram modo adverbium [temporis] est, quia verbo cohaeret: ut (Aen. I. 595) coram quem quaeritis adsum. et coram ad personam certam refertur, palam ad omnes.

Aen. II. 707. „age“ non est modo verbum imperantis, sed hortantis adverbium, adeo ut plerumque

„age facite“ dicamus et singularem numerum copulemus plurali.*)

Aen. II. 725. pone. „post“, sed loco tantum, non et tempori adiungitur. et adverbium est, atque ideo syllaba habet accentum.**)

Aen. III. 154. Ortygiam. ad Ortygiam: more suo detraxit praepositionem, ut paulo post „Cretae“ pro „in Creta“.

Aen. III. 162. Cretae. non sic dicitur „Cretae“, quemadmodum „Romae“, neque enim bene, sicut dictum est, sine praepositione insulae ponuntur, nisi hae tantum, quae eiusdem nominis civitates habent.

A. IV. 426. Aulide . . . aut „in Aulide“, aut pro „Aulidi“.

Aen. III. 416. cum protinus continuo: et modo adverbium loci est, alibi temporis est, ut (291): protinus aerias Phaeacum abscondimus arces.

Aen. IV. 31. magis dilecta . . . id est dilectior . . . nam antiqui frequenter pro comparativo iungebant particulam „magis“. tale et illud est (Aen. V. 724); Terentius (eun. V. 4,12): nihil videtur mundius, nec magis compositum quicquam nec magis elegans.

Aen. IV. 224. „Carthagine“ pro „Carthagini“: et pro adverbio in loco, de loco posuit. sic Horatius (ep. I. 8,12): Roma Tibur amem, ventosus Tibure Romam pro „Tiburi“.

---

*) cf. Donati comm. in Ter. Andr. III. 4,19; adelp. IV. 2,33.
**) Servii comm. in Don. p. 439,28 K., Isid. diff. verb. 436.

Aen. IV. 182. oculi subter adverbium est, ac si diceret: non sub plumis, sed sub ipsa.

Aen. IV. 341. sponte mea. modo nomen est: nam et genus et casum habet. sic et „mane", cum ei genus et casus additur, nomen est, ut (georg. III. 325): dum mane novum, dum gramina canent, sic est et (Aen. I. 377): forte sua Libycis tempestas adpulit oris. alias adverbia sunt.*)

Aen. IV. 416. circum non est praepositio sed adverbium loci . . . nam postposita praepositio et accentum mutavit, et suas perdidit vires.

Aen. VI. 288. horrendum strident. pro „horrende": adverbium qualitatis derivatum in nomen.

Aen. VIII. 30. „seram" . . . pro „sero", adverbium temporis in nomen deflexum.

Aen. VI. 381. aeternum. in aeternum: et est adverbium.

Aen. IV. 401. aeternum adverbium est, ut supra (v. 381).

Aen. IV. 343. dic age. hortantis adverbium est, unde et „age sta" et „age facite".

Aen. V. 603. hac celebrata tenus. tmesis est, [hoc est] hactenus. et hic sermo, quantum ad artem spectat, duas continet partes orationis, ut „hac" pronomen sit, „tenus" praepositio, sicut (Aen. III. 427): pube tenus et (georg. III. 53): crurum tenus; sed iam usus obtinuit pro una parte habeatur. ergo adver-

*) cf. Servii comm. in Don. p. 416,19 K. et [Sergii] explan. in Don. p. 489,36 sqq. K.

bium est: omnis enim pars orationis cum desierit esse quod est, in adverbium migrat: et est temporis, nam „hucusque" significat.

Aen. V. 19. mutari transversa fremunt [id est] hinc atque hinc . . . est autem adverbium factum de nomine, ut (Aen. IX. 122): fluens transversus. est autem idem (georg. III. 499): et pede terram crebra ferit.

Aen. VI. 743. exinde una pars orationis est . . . quod ideo factum est, ut ostenderetur una pars esse orationis, ne praepositio iungeretur adverbio quod vitiosum esse non dubium est.

Aen. VIII. 423. hoc tunc id est huc tum. et „hoc" pro „huc" posuit secundum antiquum morem: nam antea „hoc" adverbium loci fuit, quod nunc abolevit: nam crebro in antiquis lectionibus invenitur, sicut in epistulis probat Verrius Flaccus.*) exemplis auctoritate ratione, dicens in adverbiis pro „u" „o" plerumque maiores ponere consuetos. et sic pro „huc" „hoc" veteres dicere solebant, sicut pro „illuc" „illo" dicimus: unde etiam „hoc" o longum esse apparet, sicut „illo", cum pro „illuc" ponitur.

Aen. VII. 601. protinus . . . nunc temporis est adverbium, alibi loci, ut (Aen. III. 416): cum protinus utraque tellus una foret.

Aen. VI. 875. „quondam" autem potest et praeteriti esse et futuri.

---

*) cf. Prisciani instit. gramm. lib. XV. 6. (gr. lat. III. p. 64,7 K.)

Aen. XII. 398. acerba fremens. Pro „acerbe“: adverbium qualitatis in nomen derivatum.

Aen. XII. 486. heu quid agat? omne adverbium verbo cohaeret: unde, quia heu hem at atat et simili verbo cohaerere non possunt, separatim fecerunt aliam partem orationis, scilicet interiectionem: quam sola latinitas possidet.

G. I. 287 . . . nocte [autem non est adverbium, sed] nomen, [ablativique casus]. adeo ut ei Horatius iunxerit praepositionem, ut (I. ep. 2,32): Ut iugulent homines surgunt de nocte latrones: nam adverbium „noctu“ facit, sicut „diu“; Sallustius (Iugurt. 38): diu noctuque laborare festinare.

G. II. 11. sponte, modo nomen est; quia iunctum est ei genus, quo caret semper adverbium.

Ecl. I. 20. Quo: id est ad quam: nam adverbium posuit pro nomine, ut (Aen. II. 6): genus unde latinum, id est: a quo.

B. VII. De interiectionum constructione.

duos tantum Prisciani locos eruere potuimus lib. XV. 40 (gr. lat. III. p. 90 sq. K.); lib. XVIII. 303. (p. 375 K.)

Pars II.

„De Terentii et Vergilii interpretum fontibus syntacticis."

Atque ut veniamus ad alteram propositi nostri partem, videamus nunc quibusnam potissimum ex fontibus syntacticis Donatus et Servius hortulos suos irrigarint.

Priusquam autem veniamus ad propositum nostrum, id unum commemoremus nullos alios nisi latinos fontes nos spectasse, quamquam haud nescivimus, omnium fere operum latinorum et soluta et devincta oratione scriptorum libros grammaticos maxime graeca assumpsisse exemplaria, cum romani graecae linguae studere inciperent a graecae grammaticae elementis.*) Nam et ipse Cato severissimus ille romanus, etsi remotus ab omni graeco cultu et ingenii et vitae omnia nisi romana despiceret, facere non potuit, quin annis admodum gravatus graecam linguam disceret, cum

*) cf. Graefenhan: Geschichte der classischen Philologie im Altertume. vol II. p. 249 sqq.

maximam romanae humanitatis partem graecis literis effici intelligeret.*) Et M. Terentium Varronem, quamvis meritus sit de amplificandis studiis grammaticae latinae, tamen omnino non alium habendum esse nisi doctissimum graecae disciplinae interpretem notum est. Quae cum ita sint, incertum esse putamus, an numquam clarus quidam grammaticus ut Varro Probus Donatus Priscianus Romae docturus fuerit, nisi Graeci hortulos eorum liberalissime irrigavissent. Maxime autem romani a graecis didicerunt syntaxim latinam, omnia enim ad ordinationem coniunctionem constructionem partium orationis latinae pertinentia graecae simillima esse doctrinae demonstrare minimi est negotii.

A. De Donati fontibus syntacticis.

Duplicem de octo orationis partibus disputationem a Donato institutam esse, alteram breviorem et puerorum institutioni destinatam, alteram doctiorem et cum reliqua arte coniunctam, multis demonstravit Keilius in grammaticorum latinorum quarti voluminis praefatione (p. XXXI. sqq.) testimoniis. Quibus ambabus in artibus exponendis et illustrandis Donati interpretes ita versati sunt, ut, cum permulta ab iis vel omissa vel addita vel aliter disposita inveniamus, eas Donati artes valde mutatas atque interpolatas nobis cum a medii aevi scriptoribus tum post typographicam artem inventam a primis editoribus tradi-

*) cf. Schneider: de script. Catonis; in scriptoribus rei rusticae I. 2. p. 19.

tas esse nostro iure putare possimus, id quod paucis exemplis et ex Pompei copiosissimo commento et ex Servii commentario et ex [Sergii] explanatione haustis illustrare atque demonstrare nobis liceat.

Ac primum quidem de orationis partibus disputans Pompeius p. 250 K. cum alia tum haec ait:

Hoc quod dicit. tenendum nobis est fideliter e. q. s. Quis dicit? Donatus; nam alius esse non potest, ut nos quidem putamus. In Donati autem artibus ne unum quidem verbum hac de re grammatica legimus. Huc accedit, quod de eadem re et Servius p. 428,439 K. et Sergius p. 813 K. verbosius disputant, quam ut suo ipsius ingenio petivisse potuerint, praesertim cum ad verbum fere inter se hac de re consentiant. Donati enim commentatorum mirum persaepe consensum intelligere nobis licet, quem non ita factum esse putamus, ut ex Servio alii haurirent, sed ita, ut omnes Donati doctrina usi ad verbum plerumque ex artibus illius descripta modo pluribus modo minoribus ex suis ipsorum ingeniis petitis exornarent. Quadere quotiens de quaestione quadam grammatica in quam Donatum inquisivisse iam non animadvertimus omnes tres commentatores Donati consentiunt, eam Donati artium partem mutatam esse aut a medii aevi scriptoribus aut a primis artium Donati editoribus nostro iure conicere possumus, quamquam et Sergium et Pompeium non numquam ex Servii in Donati artes commentariis hausisse omnino non negamus. Exempli autem causa aliquot insuper locos

ex Donati interpretum commentariis, quorum iam in priore opusculi nostri parte mirum consensum in margine adnotavimus, hic citare nobis liceat:

Pomp. p. 269 K. de praepositionum ordinatione Serv. p. 418 sqq. K. [Sergii] explan. p. 517 K.

Serv. p. 407 K. [Sergii] explan. p. 492 K. Pomp. p. 157 sqq. K., quorum ultimus de comparativi gradus constructione cum alia tum haec ait: comparativus gradus iungitur tribus casibus. Donatus ait: „duobus casibus" et q. s.

Serv. p. 437 K. [Sergii] explan. p. 553 K. Pomp. p. 238 K., quibus ex interpretum locis et ipsum Donatum quaedam de verborum constructione, ne dicam de idiomatibus casuum, memoriae prodidisse suspicari nos posse existimamus.

Serv. p. 413 sq. K. [Sergii] explan. p. 503 sqq. K. Pomp. p. 213 et p. 227 sqq. K.

Serv. p. 415 K. [Sergii] explan. p. 509 sq. K. Pomp. p. 252 sqq. K. Cledon. p. 22 K., qui omnes loci de adverbiorum constructione cum ad verbum fere consentiant faciunt, ut omnes ex Donati artis parte quadam amissa haustos esse suspicemur.

Sed nolo exempla cumulare, cum multa huius generis ipsa opusculi nostri prior pars suppeditet.

De auctoribus quibus Donatus in artibus scribendis usus sit propter ipsam naturam libri ab omni doctrinae specie remoti quamquam nihil constare arbitratur Keilius (l. l.), tamen nos his doctissimorum virorum scriptis adiuti:

Lersch: Sprachphilosophie der Alten etc.
F. Osann: Beiträge etc.
A. Graefenhan: Geschichte der class. Philologie etc.
H. Kummrow: symbola critica, dissertatio inauguralis. Greifswald 1840. 4⁰.

hanc in quaestionem ausi sumus paulo accuratius inquirere.

Donatum omnium auctorum grammaticorum solum fontium suorum nomina constanter reticere ex priore operis nostri particula intellegimus. Quae cum ita sint, difficillimum esse videtur diiudicare, quibusnam potissimum ex fontibus hortulos suos irrigaverit, quos non aliter nisi ex artibus eius excerpta cum aliorum grammaticorum latinorum excerptis ad syntaxim latinam pertinentibus comparando investigare possumus. Hoc autem in elaborando optime nos adiuvant annotationes nostrae, quas in prioris fasciculi margine fecimus, ut locos aliis similes commemoraremus.

Quas annotationes si paullo diligentius perlegimus, mirus et cum Diomede et cum Charisio et cum Dositheo consensus nobis occurrit, qui tantus est per universum fere librum, ut multis locis non solum eaedem res tradantur, sed etiam verba verbis respondeant. Ac primum quidem tuo iure eos grammaticos, cum paullo inferiore aetate quam Donatus vixerint, ex Donati artibus hausisse conicias. Hanc autem coniecturam exempla quae infra dabimus, refutare mox intellegemus, quia posteriores Donato auctores

et omnia copiosius doctiusque exposita exhibent quam Donatus ipse et nonnumquam fontes suos aut nominant aut suspicari nobis permittunt. Quae cum ita sint, dubitare nequit quin ab antiquioribus auctoribus, tamquam communibus fontibus, omnes doctrinam suam derivaverint.

Exempli causa haec afferre sat erit: De oratione et partibus eius disserentes mire consentiunt Donatus p. 335 sqq. K. et Charisius p. 152 K. et Diomedes p. 300 sqq. K. et Dositheus p. 389 sqq. Charisius participii coniunctionis praepositionis interiectionis definitionum auctorem Cominianum, adverbii C. Julium Romanum nominat, Diomedes ex nominis definitione sua Scaurum ita modo dissentire ait, ut a nomine appellationem et vocabulum separet; adverbii autem definitionis omnibus communis (ex qua iterum Scaurum ita dissentire commemorat, ut definiat adverbium esse modum rei dictionis ipsa pronuntiatione definitum), coniunctionis Palaemonem auctorem citat. Item Donatus p. 375 K. et Charisius p. 115 K. et Diomedes p. 525 K. eadem fere de comparativorum et superlativorum constructione tradunt. Et hoc ipso loco et Charisius et Diomedes uberrimis ex fontibus suis hausisse videntur, aut ex C. Julio Romano aut ex Q. Terentio Scauro aut ex Palaemone.

Etiam de generibus verbi mire consentiunt Donatus p. 383 (K.), Charisius p. 164 et p. 168 K., Diomedes p. 336 sqq., Consentius p. 367, quorum quod nemo auctorem ullum grammaticum nominat

valde quamquam dolemus, tamen et Diomedem et Charisium non aliis fontibus quam supra usum esse conicimus, de quibus infra accuratius disseremus.

Quibus exemplis affatim demonstrasse nobis videmur Donatum plerumque isdem ex fontibus atque Charisium et Diomedem hausisse, ex Cominiano Romano Scauro Palaemone. Sed quomodo hi hauserint ex fontibus suis utrum eos ipsos perlegerint necne et quibus antiquioribus grammaticis doctrinam suam illi fontes debeant, infra de Charisii et Diomedis fontibus disserentes demonstraturos nos speramus. Donati autem auctores non ita ut Charisii vel Diomedis discernere nobis licet, quod, cum omnia uno velut tenore exhibeantur, alterius doctrinam ab alterius differre plerumque difficilius videtur, quam ut facere conemur.

Praeter communes hos cum Charisio et Diomede auctores grammaticos Donatum non nulla a Probo mutuatum esse opinamur, id quod hisce exemplis demonstrare possumus:

Donatus p. 365 sq. K. et Probus p. 147 sq. K. de praepositionum constructione eodem fere modo disserunt. Quadere Donatus aut ex ipsis Valerii Probi libris aut ex fonte quodam alio, qui Berytii grammatici auctoritate usus est, haec hausisse videtur. Conicimus autem Donatum ipsos Valerii libros inspexisse, quia ipsum Probum inter alios perstringere videtur, cum dicat p. 387 K.: sunt [item] adverbia, quae inprudentes putant nomina: in loco, ut Romae e. q. s.;

nam Probus p. 154 sq. K. loquitur de „nominibus“ locorum adverbialiter positis. Quae celeberrimi grammatici verba Donatus cum intellexisset verecundia commotus vituperare quamquam non dubitavit nomine omisso leviter perstrinxit.

Commentarii quos in Terentii fabulas*) scripsit Donatus etsi magnam partem ita truncati mutilatique sunt, ut haud defuerunt, qui eos a Donati discipulis conscriptos esse putarent,**) tamen eximie prodesse censendi sunt etiamnunc Terentianarum fabularum interpretationi, quemadmodum plures passim editores testati sunt. At cum commentarii a posteriorum temporum auctoribus ita mutati interpolatique sint, ut aliam omnino formam speciemque adeptos eos esse Westerhovius Faber Fabricius Lindenborgius Graefenhanius Schopenius alii viri docti recte existimaverint, interpretationi, quidem utiliores facti esse videntur, uberioribus autem quaestionibus ad syntaxim latinam pertinentibus eos plane paene privatos esse opusculi nostri particula prior demonstrat, quamquam eiusdem Donati artes optime instructum eum fuisse et universae linguae latinae cognitione et syntaxis latinae arte ostendunt. Quadere excerpta ex commentariis***) Donati Terentianis ad syntaxim latinam spectantia et minora et breviora sunt, quam ut operis pretii esse

*) Suringar: hist. crit. pg. 77 sqq. vol. I.

**) cf. C. G. Reinhold: annott. eritt. in Terentium. Primislaviae 1830. 8⁰ p. 23 sqq.

***) cf. A. Graefenhan: vol. IV. p. 315 sqq.

videatur fontes eorum indagare. Ac libentissimis repetamus animis Westerhovii votum, qui in praefatione ad Terentii sex comoediarum editionem (A. I. p. 18) haec fere ait:

„O utinam integer superesset Donatus! . . . accidit nimirum optimo interpreti, quod accidisse olim pluribus non pessimae notae scriptoribus merito dolent eruditi, ut nimirum bona sui parte, mutilati ad nos pervenerint". et suo iure Tanag. Faber ad Phaedr. L. i. f. 4 conquestus est, cum diceret:

„non magis Servium hodie habemus, quam Donati in Terentium commentarium. Excerpta tantum supersunt: et saepius a mala manu."

At tamen quamquam abhorret animus ab iniucundissimo labore iam nitamur Donati commentatoris fontes investigare.

Ac primum quidem priores Donato interpretes Terentii, quippe ex quibus Donatum, quamquam hos sic et ingenio et iudicii acumine superavit, ut eorum commentarii prae illo omnino fere neglecti esse videantur, quaedam hausisse consentaneum sit, paucis illustrare nobis liceat.*) Plures enim veterum grammaticorum Terentianos composuisse commentarios, etiamsi memoriae nihil quidquam sit proditum, coniectando vel inde assequi licere Schopenius putat, quod tantum non omnes latinorum scriptorum principes, in quibus, si cui alii, comico nostro est locus,

---

*) Lud. Schopen: observationes in Donati quae feruntur scholia. Bonn. 1821 dissert. inauguralis. p. 30. sqq.

magistrorum stipati sunt choro, qui et recensuerunt et annotaverunt. At inter Terentii interpretum, qui ante Donatum floruerunt, numerum referuntur: Valerius Probus Berytius, Aemilius Asper, Helenius Acro, Arruntius Celsus, quorum licet numero Nigidium et Flavium Caprum vulgo adiungant insuper, quos Terentii fabulas commentatos esse Schopenius suo iure negare nobis videtur. Nam et ipse Suringarius P. Nigidii Figuli, quo Ciceronem in extinguenda Catilinae coniuratione socio et adiutore magnam inter Romanos consecutum esse nominis famam Plutarchus memoriae prodidit, nomen inter antiquos Terentii interpretes, Fabricii in bibl. lat. I. p. 49 et Harlesii in introd. ad Not. lit. rom. II. p. 178. auctoritate non commotus, referre dubitavit, cum nulla usquam a veteribus huius rei mentio fiat. Quod autem Donatus in commentariis suis Terentianis aliquotiens Nigidii nomen in partes vocat (ad Phorm. I. 4,4; I. 4,13; II. I,3), nos locos omnes ad Nigidii commentarium grammaticum, opus multorum librorum, Suringarii permoti auctoritate spectare putamus.

Certissime quidem constat Valerium Probum Berytium aliquando commentarios in Terentii fabulas conscripsisse, quamquam nulla est veterum mentio, quae nominatim istos commentarios commemorat.*) At Donatus, quem aetate antecessit Probus, in suis ad Terentium commentariis totiens Probi sententiam me-

*) Suringar: I. p. 99 sqq.

morat (ad Andr. V. 3,4; ad Eun. I. 1,1; ad Adelph. III. 2,25; ad Hecyc. prol. prior. v. 2; ad Phorm. I. 1,15; I. 3,3; II. 3,25; V. 8,16), ut exinde facili negotio coniciatur, scriptos esse ab eo commentarios, qui Donati aetate superstites fuerint. Isti vero commentarii cum omnes perierint, quales fuisse censendi sint, in tanto veterum silentio non facile est diiudicare. Incertum enim esse videtur an Cledonius Charisius Diomedes Priscianus qui saepenumero Valerio Probo auctore utuntur ex commentariis eius Terentianis hauserint. Id unum autem constare operis nostri particula prior demonstrat, Donatum in commentariis suis ad Terentii fabulas, quantum quidem ad syntaxim latinam pertineant, Probi annotationes Terentianas non usum esse.

Aemilius Asper grammaticus secundus a Probo suscepit interpretis partes, id quod diu dubitatum nunc plane constare arbitramur, praesertim cum Donatus in commentariis suis grammatici illius nomen sic vocet in partes, ut merito eum cognovisse illius commentarium in Terentium conicias.*)

Helenius Acro item in Terentium enarrationes reliquit, quarum mentio fit pluribus in locis apud Charisium (192,30; 200,16; 219,5 K.) Et haec quidem sunt omnia fragmenta, quae de toto Acronis opere supersunt: sive id conscriptum fuerit ad omnes Terentii fabulas, sive tantum modo ad adelphos et eunuchum,

*) cf. Don. ad adelp. III. 2,25; IV. 2,20; Phorm. I. 2,24.

e quibus solis Charisius fragmenta memoriae prodidit, hic diiudicare supervacaneum nobis videtur,*) praesertim cum Donatus nullam unquam mentionem faciat horum Acronis commentariorum.**)

Arruntii Celsi autem ad Terentii fabulas commentarios praeter Charisium (p. 213,18; 222, 6, 30 K.) nemo quantum nos quidem sciamus commemorat; ubi enim Celsi nomen occurrit apud Servium et Philargyrium videntur intellegendi esse commentarii quos in Vergilium scripsisse eum infra intellegemus.

Itaque Donatus cum in commentariis suis Terentianis ex prioris aetatis interpretibus comici illius hausisse non videatur, iisdem auctoribus grammaticis atque in artibus usus esse videtur, si quidem — id quod non plane constat — ex fontibus quibusdam aridissimos illos hortulos suos irrigavit.

B. De Servii fontibus syntacticis.

Non integros ad nos pervenisse Servii in Vergilii carmina commentarios constat. Sed cum et tam callide retractati sint ut vetustiorem a recentiore grammatico vix internoscas, et nos omnes fere locos ad syntaxim latinam pertinentes ex iis excerpserimus manuscriptis, quibus Servii grammatici nomen plerumque et inscriptum esse et subscriptum Danielis Burmanni Lionis Thilonis Hageni, celeberrimorum scholiorum Vergilianorum editorum, sententiis conlatis iudicare potuimus, hac quaestione omissa, quia sat

**) Suringar: I. p. 94 sq.

***) Graefenhan: IV p. 308 sqq.

esse putamus hoc loco virorum doctorum in margine annotare et nomina et opera, qui de Servianis qui feruntur in Vergilii carmina commentariis scripserunt,*) statim inquiramus, quibus Servius auctoribus usus sit in commentariis suis conscribendis. Viros doctos autem, qui in Servii fontibus indagandis operam posuerint, non habeo quos adferam nisi hos paucos:

Suringar: hist. crit. schol. lat.

Ribbeck: prolegom. ad Vergilii carminum editionem.

J. Kirchner: de Servii auctoribus grammaticis quos ipse laudavit. Fleckeis. Jahrb. Supplem. 8 p. 467—533.

Thilo: quaestiones Servianae. Halle 1867. Begrüssungsprogramm zur 25. Philologenversammlung.

idem: ad Servii comment. editionem praef. Heidelberg. 1880.

Ac primum quidem, quemadmodum in Donati commentatoris auctoribus grammaticis investigandis fecerimus, ut intellegamus, utrum Servius priorum Vergilii interpretum ex commentariis hauserit necne, de his paullo accuratius disserere haud alienum nobis videtur.

---

*) Mor. Haupt: opusc. vol. III. p. 2 sqq.
Thilo: praef. ad Servii comment. editionem. Heidelberg. 1880.
Thilo: Beiträge zur Kritik der Scholiasten des Vergilius. Rhein. Mus. N. F. Bd. 14 p. 535 sqq. Bd. 15 p. 119—138; Bd. 16 p. 442 sqq.
Heine: Vergilii carm. edit. quart. edd. Wagner Lipsiae 1832. vol. IV. p. 743 sqq.
Rhein. Mus. N. F. vol. XVIII. 1863 p. 253 sqq. (Fr. Oehler.)

Quamquam iam primae Vergilii carminum editionis temporibus haud deerant interpretes, qui quaestiones quasdam grammaticas instituerent — optime hac de re iudicare nobis videtur F. Schoell in mus. rhen. vol. 34 p. 630, cum dicat:

Bekanntlich hat die geläufige Schulgrammatik der Römer den Vergil ganz so zum Mittelpunkt der Sprachstudien gemacht, wie die griechische Grammatik den Homer: es war dies eine einfache Nachahmung aus nationaler Eitelkeit und bei der Beschaffenheit der Aeneïs ein offenbarer Missgriff, — primum Vergilii carmina iusto commentario illustravisse arbitramur Asinium Pollionem (nam Q. Caecilium Epirotam, Attici libertum et Pomponiae filiae praeceptorem, quem primum legendo interpretatum et commentatum esse Vergilium Otto Ribbeckins docet, inter Vergilii interpretes referre dubitamus, cum Suetonius (de illustr. grammat. cp. 16) nihil aliud nisi eum primum Vergilium et alios poëtas novos praelegere coepisse memoriae prodiderit), quamquam et Graefenhanius (vol. IV. p. 259 et p. 277), qui sibi ipse contradixit, atque Theod. Bergkius (ephem. stud. antiq. 1845 p. 120) id refutant, et M. Hauptius (ind. lect. aest. Berol. 1855 p. 45 sq.), qui Pollionem Catulli commentarios scripsisse haud negat, num idem Vergilii carmina commentatus sit inquirere se nolle confitetur, et Ribbeckius, Pollionem quendam Vergilii carmina iustis illustrasse commentariis ratus, Thorbeckium et Graefenhanium redarguere se posse negat, qui alium esse

Pollionem Catulli alium Vergilii interpretem iudicaverunt id quod hic diiudicare longum est.*) At Alexandrum, servum illum Vergilio a Pollione donatum Vergilii carmina grato in optimum dominum animo commentatum esse negamus, cum et nullam omnino huius interpretis mentionem faciat grammaticus ullus romanus [nam Servii scholii ad Aen. VIII. 330 posteriorem partem, cuius in fine Alexandri nomen memoratur, si paullo accuratius inspicias, facile ut opinor fateberis, non scribi potuisse a Servio, verum ab alius manu venisse, qui Alexandrum secutum esse in hoc scholio Servium docere voluerit] et Servius Asinium Pollionom ita citet ad Aen. II. 7, VI. 561, XI. 183, IX. 459 (?), ut nemo dubitare possit, quin Pollio non Alexander Vergilii si non omnia carmina at certe Aeneïdem commentatus sit.**)

C. Julii Hygini, Augusti liberti, familiarissimi Ovidio, Palatinae bibliothecae praefecti, „quasi paedagogi“ Vergilii (Suetonius: de ill. gramm. cp. 20), „commentarios in Vergilium factos“ Gellius noct. attic. l. I. 21,2 atque accuratius „quartum librum quos de Vergilio fecit“ noct. attic. l. XVI. 6,14 laudat, cuius saeculo illi superstites fuisse videntur.***)

---

*) Thorbecke: comment. de Asinio Pollione p. 122. sqq Leyden 1820.

**) Suringar: vol. II. p. 143 sq.

***) cf. Kretzschmer: l. l. p. 77 sqq. 1860.
Mercklin: anal. philol. suppl. III. p. 659.
Graefenhan: IV. p. 63 sqq et 278 sq.
Suringar: II. p. 172—184.
Chr. Bunte: de vita et scriptis Hygini p. 22 sqq.

Et ipse Julius Modestus,*) cuius praecepta grammatica quaedam saepius Charisius p. 73,12, 75,13, 101,1, 103, 28; 125,4, 204,22 K., semel Diomedes p. 365,16 K. laudat, in doctissimorum Vergilii interpretum numerum vulgo refertur cuius carmina si non iusto et continuo commentario, at certe carptim sive in quaestionum confusarum libris, quos Gellius commemorat in noct. attic. libris persaepe, sive in aliis scriptis eum illustravisse conicit Ribbeckius, id quod Graefenhanius (vol. IV. p. 65 et p. 280) negat, qui praeter alias grammaticas quaestiones confusas Horatii opera commentatum esse Modestum putat veri simili esse.

L. Annaeus Cornutus,**) Persii et Lucani praeceptor philosophus idem et rhetor et grammaticus, scripsit Aeneidos commentarios, quorum Charisius semel p. 127,19 K. ad Aeneidos librum decimum mentionem facit. Et abiecta quidem indecora eum congessisse et ambitiosius quam prudentius diiudicasse satis multis docet exemplis Ribbeckius p. 125 sqq. Neque commentando tantum et distinguendo, sed emendando etiam verborum textui operam eum dedisse, complures Serviani commentarii loci demonstrant, Sed nec bucolica nec georgica prorsus ab eo neglecta esse Gellius (noct. attic. lib. II. 6) docet.***)

Aemilius Asper, quem Sallustii historiarum libros

---

*) Bergk: ephem. antiq. 1845 p. 118.

**) cf. O. Jahn: proleg. ad Persium p. VIII. sqq.

***) cf. Kretzschmer: l. l. p. 81 sq.

commentatum esse Charisii p. 216,28 K. et Hieronimi (apol. e Rufin. I. 16 vol. II. p. 472 ed. Vallars.) testimoniis constat, idem in Vergilii carmina commentarios scripsit; et inter praestantissimos quidem bonae aetatis grammaticos habendum eum esse putat Ribbeckius p. 128, quippe quem cum Scauro et Probo componat Ausonius epist. XVIII. 26 et in praef. ad Syagrium 20, grandia nomina laudans. Posuisse eum docet Heynius (l. l. p. 475) grammatica et poëtica observata vel praecepta, subiectis pro exemplo Vergilianis verbis vel phrasibus. Nec indoctum criticum et interpretem eum fuisse produnt et veterum testimonia, quorum cum longe maxima pars ad Aeneïdem spectet, tamen in bucolicis quoque et georgicis versatum eum esse docent, et recentiorum iudicia virorum doctorum, e quibus unum Graefenhanii (vol. IV. p. 75 sqq. et 285 sqq.), qui eum „Hauptrepraesentant der Exegese in gegenwärtiger Periode“ nominat, afferre sufficiat.

Nobilissimus omnium quotquot Vergilii carminibus operam dederunt grammaticorum fuit M. Valerius Probus Berytius. At quamquam viri docti saepius levi argumento faciunt,*) ut, si parum inter se conveniant quae de alicuius scriptoris aetate vitae ratione scribendi genere traduntur, duos eiusdem nominis scriptores fuisse contendant, tamen idem nobis, ubi de Probo commentatore disputamus, faciendum esse

*) Suringar: II. p. 14 sqq.
Osann: II. p. 278 sqq.

mox intellegemus: cum enim, quae Gellius Macrobius Servius e Probo citant, in Probi commentariis, quos nunc ad Vergilii eclogas et georgica habemus, non tantum desiderentur sed multo aliter legantur apertum esse et Suringarius et Osannus dicunt, quibus plane assentiri nos confitemur, [quamquam et Jahnus (proleg. ad Persium) et Bergkius (anecdot. Parisin in ephem. antiq. 1845 u. 11—17) eandem, quam de Probo grammatico supra protulimus sententiam, et ad Probum commentatorem pertinere posse putaverunt;] non istos commentarios qui supersunt sed alios ab iis scriptoribus significatos esse.*)

Quod autem Thilo (l. l.) dicit M. Valerium Probum Berytium et in emendandis maxime Vergilii exemplaribus in Aristarchi morem operam collocasse et primum certe georgicorum librum ipsius poëtae manu correctum legisse,**) non habemus, quod doctissimi illius viri sententiam reiciamus. Tamen etiam Ribbeckio Kirchneroque assentiri non dubitamus, qui coniectanea quaedam grammatica a M. Valerio Probo relicta Suetonio teste (de illustr. gramm. cp. 24) variis additamentis aucta et suppleta Probo mortuo ab amicis

---

*) Haedere cf: H. A. Lion: Probi in Verg. comment. 1826.
Schneidewin: Beiträge zur Kritik des Vergilcommentars des Probus. Rhein. Mus. N. F. IV. p. 140 sqq.
A. Riese: de commentario Vergiliano, qui M. Valerii Probi dicitur Bonn 1862.
O. Ribbeck: de commentario Vergiliano etc. contra A. Riesium. Fleckeis. Jahrb. für class. Philol. 1863. p. 351 sqq.

**) cf. Gellii: noct. attic. lib. XIII. 21,4.

familiaribusque eius edita esse docent, in quibus Probi exposita fuerint singula quaeque praecepta, quae cum latini sermonis normam et consuetudinem universam spectarent, exemplis tamen praeter alia Vergilianis quoque illustrata essent. Quarum commentationum, quas iustum Vergili commentarium nominare nobis non licet „multos admodum libros se adquisivisse" Gellius (noct. attic. l. XV. 30) praedicat.

Jam supra autem de libris illis grammaticis Probi nomine ornatis disputantes Alex. Riesii de Probo commentatore sententiam optimam iudicavimus, qui Suetonii verbis fidem habendam esse ratus Probum non notis tantum criticis sed etiam adnotationibus scriptores, quos tractavit, instruxisse demonstrat. Et ipse Lerschius in diar. lit. antiq. 1840 p. 113 dicit: „Es gab ein oder mehrere Exemplare des Vergil von Valer. Probus eigener Hand verbessert, in Bücher abgeteilt und interpungiert, wozu noch Randglossen oder selbstständige Bemerkungen als vollständige Vollendung des kritischen Geschäfts hinzukamen." Exstitisse igitur unquam Vergilii carminum exemplaria Probi manu non modo correcta sed etiam ad notata asseverare iam non dubitamus.

De Probi minoris qui feruntur in Vergilii georgica et eclogas commentariis, qui nostram tulerunt aetatem, non habemus quod verba multa faciamus, et quia nihil exhibent de syntaxi linguae latinae et quia cum a Servio omnino non adhibiti sint multo post Servii aetatem scripti videntur.

Flavius Caper qui doctissimus antiquitatis perscrutator saepissime laudatur una cum Probo,*) cui similis apparet, cum de vocabulorum vel sententiarum vi atque significatione nusquam disseruisse videatur, nisi ubi ad textum vel emendandum vel constituendum vel distinguendum opus esset, libros enucleati scripsit sermonis sive de latinitate, de praepositione „ex", de dubio genere atque commentatus est Ciceronem, Plautum, id quod Graefenhanius negat,**) Terentium Vergilium comicos qua in re et Graefenhanius et Suringarius (II. p. 217 sq.) et Schopenius et Ritschelius (parerg. Plaut. I. p. 361 sq. vehementer errare Ribbeckium putant, quae cum diiudicare non possimus silentio praeterire nobis liceat.

Urbani aetas paullo certius definiri potest collatis Servii ad Aen. V. 517 et scholiastae Veronensis ad eiusdem Aeneïdis libr. v. 488 adnotationibus. Ribbeckius p. 167 Cornuto iuniorem Longum aetate antecessisse putat Urbanum. Ex fragmentis autem, quae ex Servio collata Suringarius II. p. 190 sqq. memorat, apparet Urbanum in commentariis suis Vergilianis praecipue grammaticam spectasse interpretationem. Licet vero suspicari istum et criticam emendationem omnino non neglexisse.

---

*) cf. Keil: praef. ad gramm. latin. vol. IV. p. XVIII. et p. XXV.

**) A. Graefenhan: IV. p. 89 et p. 299. Christ. philol. vol. XVIII. p. 168.

Velium Longum contra Bergkii (1845 p. 117) opinionem Vergilii aut omnia carmina aut solam Aeneidem commentatum esse Ribbeckii secuti sententiam opinamur. Plenissime enim rem comprobant fragmenta quae ex Velii Longi commentariis servata sunt a scholiasta Veronensi.*)

Q. Terentium Scaurum,**) Hadriani temporibus grammaticum vel nobilissimum (Gell. noct. attic. l. XI. 15***), ter laudat scholiasta Veronensis. Bucolica eundem commentatum esse scholia Bernensia (ad ecl. VIII. 65) demonstrant.

Caesellii Vindicis****) commentarium lectionum antiquarum commemorat saepius Gellius, cuius eiusdem libri sub titulo „stromateus" identidem Priscianus mentionem facit; nam hunc titulum alterum lectionum antiquarum, librum eundem habemus Ritschelii (parerg. Plaut. I. p. 360), Kretzschmeri (p. 96), Osanni (symb. II. p. 330), Graefenhanii (IV. 68) aliorum virorum doctorum sententias secuti contra Lerschii (l. l.) et L. Mercklini (l. l.) opiniones. Cuius operis permulta fragmenta grammatica exhibent Gellius Charisius Priscianus.

Sulpicii Apollinaris Carthaginiensis quem Gellius adolescens Romae audivit,*****) commentariorum Ver-

*) cf. Suringar: II. p. 185 sqq.

**) Graefenhan: IV. p. 88 sq. et p. 300 sq.

***) cf. Auson. ep. XVIII. 25 et praefat. ad Syagr. 30 p. 331.

****) Lersch: act. diurn. antiq. 1840 p. 109 sqq. et 1841 p. 1101 sqq.

*****) cf. Mercklin: p. 659.

gilianorum fragmenta non nisi ex Gellii noctium atticarum libris colligere nobis licet.

Et ipsum Arruntium Celsum inter Vergilii interpretes referre non dubitat Suringarius (II. p. 159 sqq.), quamquam nulla quidem veterum est mentio, quae diserte memoret Celsum commentatum esse Vergilii carmina. Id quod tribus Charisii locis p. 213,18; 222,6 et 30 K., qui Celsi auctoritatem de Vergilii quodam versu recitant, ad quos accedant insuper unus Quintiliani (instit. orator. VIII. 3) et unus Serviani commentarii locus (ad G. I. 277), quorum alter Celsi sententiam de Vergiliano versu (G. I. 357) memoriae tradidit, alter Celsi nomen simul cum aliis Vergilii interpretibus, Probo et Cornuto, commemorat, demonstrare studet. Nos vero Teuffelii (roem. Literaturg. 4 p. 833) auctoritatem secuti, Celso Vergilii interpretis nomen vindicari posse negamus, quippe qui, quodvis aliud agens, passim verba ex Plauto Terentio Vergilio interpretatus non tota horum poëtarum opera commentatus esse nobis videatur.

Julium Haterianum Vergilii carmina commentatum esse cum quinque scholiorum Veronensium tum permulti Macrobii loci comprobant. Ceterum non constat, quis fuerit Haterianus, neque qua vixerit aetate.

Veniamus iam ad Aelium Donatum, insignem grammaticum romanum, qui ultimus non multo ante Servii aetatem tam in Vergilii poëmata quam in Terentii comoedias commentarios scripsit, ex quibus

haud pauca Servium hausisse infra intellegemus. Parum feliciter eum criticam artem exercuisse traditis certe locis Ribbeckius demonstrat. Quadere saepius Donati errores reprehendit Servius. Argutatus est etiam in singulis vocabulis explicandis ita, ut usu fere sermonis latini caruisse eum putare deberes, nisi artes grammaticas ab eodem Donato scriptas esse constaret. In versibus interpretandis simplicem sensum eum aspernatum esse, Servii complures loci (v. infra!) ostendunt. Itaque dissimillimum fuisse Donati commentarium Vergilianum commentario Serviano conicere nobis licet; nam hic grammaticam agere potissimum voluit, illius consilium fuisse videtur aestheticam scribere quam vocant interpretationem.

Servium horum omnium antiquiorum Vergilii interpretum usum esse commentariis iam id demonstrare arbitramur, quod omnium fere mentionem facit non semel; et his quidem locis nominibus adscriptis citat:

Asinium Pollionem ad Aen. II. 7, VI. 561, XI. 183, IX. 459 (?) v. supra!

C. Julium Hyginum ad Aen. II. 15, V. 389, VI. 3, 66, 617, 839, VII. 47, XII. 120.

Julium Modestum ad Geo. I. 378.

L. Annaeum Cornutum Georg. I. 277; Aen. I. 45, 150, 488; IX. 348, 675; X. 547.

Aemilium Asperum ad Georg. II. 324; IV. 168; Aen. VI. 789; VII. 169; 377, 543; VIII. 383;

IX. 4, 31, 418, 678; X. 188, 539, 566, 673, 737; XI. 358, 801.

M. Valerium Probum: ad Georg. I. 277; Aen. I. 5, 25, 48, 441, 194; II. 15; III. 3. 82; IV. 359, 418; VI. 1, 177, 473, 738, 865; VII. 543, 419; VIII. 406; IX. 814; X. 18,33, 173, 182, 303, 444, 539; XI. 534, 830; XII. 174, 605; Ecl. VI. 76.

Flavium Caprum ad Aen. VI. 545; IX. 709; X. 788; XII. 120; X. 344, 377.

Urbanum ad G. II. 424; Aen. IV. 384, 469, 548, 624; V. 493, 517; VI. 609; VII. 556; IX. 390; X. 661.

Velium Longum: ad Aen. X. 245.

Q. Terentium Scaurum: ad Aen. III. 484; XII. 120.

Aelium Donatum: ad E. II. 17; III. 38; Georg. I. 120, 198, 424; II. 4, 324, 412, 514; IV. 153, 346; Aen. I. 546, 557, 798; II. 242, 535, 635; VI. 177, 230, 334, 535, 623; VII. 543, 563, VIII. 333, 373, 642; IX. 31, 363, 547, 675, 763; X. 331, 463, 497; XI. 31, 124, 316, 318, 762; XII. 365, 366, 507, 514, 529, 585.

Et quamquam Caesellii Vindicis, Helenii Acronis, Apollinaris, Hateriani nomina omnino non commemorat Servius, tamen eum etiam horum commentariis nonnumquam usum esse suspicamur, quia Servius et saepius auctore non addito commentarios quosdam exhibet testes [et hisce quidem locis: ad ecl. VI. 11; georg. I. 147; Aen. VI. 860; VII. 543; IX. 745.] et

non nulla aliis ex libris grammaticis hausta ex Vergilii commentariis quibusdam petivisse videtur, id quod infra satis demonstraturos nos speramus.

Hos autem commentatores Servius saepius in partes vocat aut propter eximia dubii sermonis iudicia, ut et Modestum et Flavium Caprum, aut propter alias insignes interpretis virtutes ut reliquorum plerosque.*) In syntacticae artis rebus disputandis eum hisce tantum Vergilii interpretibus usum esse apposita nomina ostendunt: Valerio Probo et Donato. Ac primum quidem inquiramus, utrum Probi ipsos commentarios legerit necne; nam ipsis Donati scriptis eum usum esse nemo negabit. Et hanc iniucundissimam occasionem Kirchneri (l. l.) perversam sententiam de Servii auctoribus grammaticis leviter perstringendi, quin arripiamus, facere non possumus. In illo enim opusculi sui capite cui inscribitur: quos et quot Vergilii commentatores Servius noster legerit, eum non perlegisse grammatici cuiusdam ipsa opera nisi Donati Carminii Urbani demonstrare studet, id quod ita argumentatur, ut quicunque accuratius libellum istum pervolverit sententiam illam omnino non probare possit.

Et Probi quidem auctoritate usus est hisce sex locis ad Aen. I. 194, 441; II. 15; III. 82; VI. 865; X. 33 ad syntaxim linguae latinae pertinentibus, quorum tres ad Aen. I. 441; III. 82; X. 33 ex Probi

*) cf. Kirchner: (l. l.) p. 614—532.

commentariis aut Vergilianis aut Terentianis reliqui ex libris grammaticis, hausti esse videntur. Nam cum Servius ad Aen. II. 15 respondeat Probi cathol. p. 17,2 K., Servius ad Aen. I. 194 Probi cathol. p. 36,25*), Servius ad Aen. VI. 865 Probi cathol. p. 17,2 K., tres alii autem loci, qui Probi nomen exhibent, in libris illis grammaticis, quos quidem nunc habemus, non legantur, etiamsi concedere non dubitamus, horum locorum duos (ad Aen. I. 441 et X. 33), quamquam libri illi grammatici qui nobis hodie exstent eos non exhibeant, et e commentariis et e libris grammaticis ad Servium migrare potuisse, tamen unus reliquus Servii locus (ad Aen. III. 82) nos commovit, ut Servium Probi commentarios Vergilianos non modo adhibuisse sed etiam ipsos inspexisse contenderemus contra Kirchnerum; id quo qui illum locum diligentius perscrutaverit veri simile, ne dicam certum, esse concedet.

Legimus enim apud Servium ad Verg. Aen. III. 83 (I. p. 96): „hospitio licet Probus quaerat, quid sit „iungimus hospitio dextras", tamen septimus casus est, id est iure hospitalitatis: nam „ad hospitium" non potest intellegi, quia iam amicus fuit". Totus hic locus autem et doctrinam antiquissimorum illorum Homeri carminum interpretum Alexandrinorum, quos imitatum M. Valerium Probum Berytium animadversiones suas criticas scripsisse scimus, nimis redolet,

*) cf. et Serv. p. 437 K.

quam ut Probi „annotationibus“ hic Servium usum esse negemus, et levior est, quam ut ex alio quodam auctore hanc Probi quaestionem Servium hausisse conicere nobis liceat.

Plura apud Servium nominatim quidem non memorantur e Probi copiis hausta; tamen dubium non est, quin Servius, quod et in aliis fecit, saepius Probi et commentarios et libros illos grammaticos adhibuerit et illius doctrinam suis inseruerit scholiis. Exempli causa hos modo Servii et librorum illorum grammaticorum locos contulimus:

Serv. ad Aen. III. 416 et 53 et Prob. instit. art. p. 148 K. cf. et Serv. ad Don. p. 420 K.

Serv. ad Aen. II. 61 et Prob. instit. p. 148 K.

Serv. ad Aen. VII. 787 et Prob. instit. p. 73,9 K. cf. et Donat. 374 sqq. K.; Serv. p. 431,14 K.; Pomp. p. 156 sq. K.

In singulis autem quae Kirchnerus nobis non probavit refutandis desudare supersedemus, quoniam nec nostri instituti est haec quaestio neque paucis verbis absolvi potest.

Quibus allatis Servium et Valerii Probi commentarium Vergilianum et libros illos grammaticos de catholicis institutisque artium ante oculos habuisse quis est qui neget? Nos vero, quamquam nobilem nostrum grammaticum atque artigraphos illos recentioris aetatis neque eodem tempore vixisse neque auctoritate comparandos esse iam pridem intelleximus, tamen hic eos componere non dubitavimus, quia Ser-

vius sine ullo discrimine omnia confundit, quae aut ex Probi genuinis annotationibus ipsis aut ex aliis antiquioribus auctoribus Probi doctrina usis aut ex recentiorum illorum artigraphorum libris hausit id quod et Keilium optime exemplis illustrasse iam supra commemoravimus et nos hoc loco paulo enucleatius et accuratius demonstrasse putamus.

Praeter Probi libros Servius persaepe Donati commentarios, et Vergilianos qui perierunt et Terentianos qui nostram tulerunt aetatem, atque artes quin inspexerit de syntaxi linguae latinae disserens quis est qui dubitet? A nullo enim superiorum interpretum plus Servius petivit quam ab Aelio Donato, ad quem, quamquam ipse Servius saepius eum quam ceteros commemoravit, permulti insuper loci referendi sunt, in quibus nominatim eum non citavit, id quod maxime probabile fit comparatis Donati et ad Terentii comoedias commentariis et artibus. Nominato quidem eo usus est Servius de syntaxi linguae latinae disputans non amplius quam bis: ad. Ecl. III. 38 et ad Aen. XII. 585. Hosce autem locos ad eundem Donatum aut commentatorem aut grammaticum pertinere putamus, quos iam supra contulimus:

Serv. ad Aen. V. 19 - Serv. ad Donat. p. 428 K.
Serv. ad Aen. I. 181 - Don. ad Andr. I. 1,28.
Serv. ad Aen. I. 14 }
Serv. ad Aen. I. 75 } - Don. ad Eun. II. 2,43.
Serv. ad Aen IX. 26 }
Serv. ad Aen. I. 96 - Don. p. 355 et p. 375 K.

Serv. ad Aen. I. 295 - Serv. ad Don. p. 419,26 sqq.
Serv. ad Aen. I. 595 - Don. ad Andr. III. 2,10 et ad Adelph. IV. 3,17.*)
Serv. ad Aen. III. 427 - Serv. ad Don. p. 418,34 et p. 442,1 K.
Serv. ad Aen. VII. 289 - Don. ad Andr. II. 1,3 et eun. III. 2,18.
cf. et Serv. ad Donat. p. 419,15 et p. 442,15.
Serv. ad Aen. I. 713 et Serv. ad Donat. p. 412,21 K. et Serv. ad ecl. VIII. 71.
Serv. ad Aen. I. 120 - Serv. ad Don. p. 417 sq. K.
Serv. ad Aen. I. 319 - Don. ad Andr. III. 2,4 et Serv. ad Aen. V. 248.
Serv. ad Aen. II. 64 et Don. ad Andr. IV. 4,19 et ad Phorm. V. 7,22.
Serv. ad Aen. III. 278 - Don. ad Ad. V. 4,17.
Serv. ad Aen. II. 12 - Serv. ad Don. p. 437,1 K.
Serv. ad Aen. IV. 534 - Don. ad eun. I. 1,1.
Serv. ad Aen. IV. 341 - Serv. 416,19 K. - [Serg.] 489,36 K.

Gravissima autem dat argumenta Kirchnerus (p. 494 sq.), quibus Servium nostrum non a commentatoribus sed a grammaticis plurima mutuatum esse comprobêmus, id quod iam numerus locorum, in quibus Servius hos nominatim citat, demonstrat; vocat enim in partes praeter Vergilii interpretes:

---

*) cf. Varro: de serm. lat. V. fr. 89; Vilm: Isid. diff. verb. 91; Reifferscheid: gloss. Sangerm. ap. Hildebr. pg. 80.

Nigidium Figulum bis; Plinium quinquies; Arruntium Celsum quinquies; Aelium Melissum semel; Domitium semel; Porphyrionem semel; Verrium Flaccum quater; Sammonicum Serenum quater; Silium Solinum semel; Cominianum bis; Ascon. Pedianum bis; Gellium ter; Catonem quinquagies septies; Varronem centies sexagies bis; Labeonem bis; Sinnium Capitonem semel, anonymos octies.

Ad syntaxim linguae latinae vero non amplius quam hos duos Plinii (Serv. ad Aen. I. 546 et VII. 273), duos anonymi (Serv. ad Aen. I. 104 et VII. 787) cuiusdam locos, unum Verrii Flacci locum (Serv. ad Aen. VIII. 423) pertinere ex prima opusculi nostri particula animadvertimus.

Ac primum quidem de Plinii ex libris grammaticis haustis dicamus. C. Plinius Secundus, rerum naturalium doctissimus ille indagator, etiam octo libros dubii sermonis conscripsit, quorum fragmenta Lerschius (I. p. 179—201) conlegit. De horum autem librorum indole, de qua nihil docet Lerschius, praeclarissime disserit A. Schottmuellerus (de C. Plinii Secundi libris grammaticis part. I. Bonnae et Lipsiae 1858) in priore dissertationis suae particula; altera vero in qua ea testimonia Pliniana tractavit, quae apud Charisium exstant, utemur, de Charisii auctoribus syntacticis disputantes. Octo omnino locis Plinius in Servii commentariis laudatur, quorum commemorationum ad syntaxim linguae latinae non pertinent

nisi duae, ut supra vidimus. Cum autem praeter haec Pliniana dilucida Servi testimonia permulta exstent in scholiis, quae si cum ceterorum grammaticorum praeceptis comparamus Pliniana sine dubio habenda sunt, luce clarius esse videtur, Servium permulta alia Plinii libris dubii sermonis debere*), id quod uno exemplo illustrare sat erit. Servius ad Aen. I. 546 Plinii analogiae legem quandam designasse videtur, cum Plinium quidem praescribere verba synonyma, in quibus eadem insit significatio, iisdem casibus iungenda esse dicat, quamvis etiam in hac lege multa excipi ipse concedat. Cuius doctrinae complura invenimus vestigia in Servii scholiis**), qui hac analogiae quasi via longius procedens vel ea verba in quibus contraria insit significatio eandem sequi legem iubet (ad Aen. I. 203).

At postquam Servium permulta Plinii libris grammaticis debere intelleximus, quaerendum nobis est, utrum Plinii libros ipse inspexerit an huius grammatici sapientiam ex aliorum auctorum scriptis hauserit. Et hoc quidem loco omnino consentimus cum Kirchnero, qui Servium cum Plinii libros dubii sermonis nunquam nominaret, quamquam semper naturalem eiusdem historiam pleno adposito titulo citaret, ne tituli quidem grammaticorum illorum Plinii librorum gnarum huius grammatici doctrinam grammaticorum quorundam latinorum ex libris in suos commen-

*) cf. Lersch: (l. l.) I. p. 198 frg. XCIII.
**) cf. ad Aen. II. 64 et X 643.

tarios transtulisse putavit. Quibus autem ab auctoribus hos Plinianos locos mutuatus sit Servius parum constat, nisi forte ab iisdem atque Charisius Diomedes alii.

Cum de duobus anonymorum locis non habeamus, quod verba faciamus, statim ad Servii scholion illud (ad Aen. VIII. 423), in quo Verrius Flaccus nominatur, transeamus. Quem Flacci locum hausisse Servium Kirchnerus (p. 476) probat ex grammatici cuiusdam (Capri fortasse) libris, quem hic Vergilii versus commovit, ut de adverbiorum usu apud veteres scriberet. „Nam cum Vergilius a primo imperatorum saeculo usque ad ultimam vergentis imperii romani aetatem longo docentium et discentium usu tritus fere solus in scholis regnaret, grammaticus latinus Graecorum in modum, qui ab Homero proficisci solebant, non poterat non a Vergilio, in quo omnis scholarum institutio versabatur, materiam quaestionum grammaticarum quas instituit petere.“

Theses.

1) Apul. metam. IV. 29 emendandum esse censeo: „sacra diae praetereuntur, templa deformantur, pulvinaria praetermeantur, caerimoniae negleguntur.“

2) Audac. excerp. gr. lat. VII. p. 343,10 K. „paene“ pro „plene“ legendum est.

3) In Theognidis versu 104 optimam codicis Mutinensis lectionem priorem restituendam esse conicio.

4) Coniecturam quam fecit Taylor in Pseudolysiae orationis funebris paragrapho 36 refutandam esse puto, Reinholdi Klotzii secutus hoc de loco sententiam.

Vita.

Natus sum Paulus Eduardus Rosenstock Regimonti d. 22. mensis Januarii a. 1862, patre Josepho, quem ante quinque annos praematura morte mihi ereptum lugeo, matre Carolina de gente Birnbaumiana. Cum primis elementis literarum domi a matre imbutus essem, septem annos natus gymnasium Cniphoviense adii, quod tum floruit auspiciis Skrzeczkae directoris; brevi post a Drygalski successit, vir doctissimus, praeceptor mihi dilectissimus, qui ad classicorum studiorum amorem me adduxit, ut initio anni 1882 maturitatis testimonium adeptus in alma universitate Albertina philologiae studiis me dederem.

Scholas frequentavi professorum illustrissimorum per novem semestria:

Bezzenberger, Dehio, Friedlaender, Hirschfeld, Jeep, Jordan, Ludwich, Ruehl, Thiele, Walter,

quibus omnibus gratias ago semperque agam quam maximas. Per tria semestria proseminarii, per tria seminarii philologici, per quattuor seminarii historici sodalis fui. Itemque interfui exercitationibus archaeologicis.

A. d. VII. Id Jun. 1886 examen rigorosum absolvi.